# ACTA SANCTORUM IULII TOMUS SECUNDUS, QUARTA DIES. DE SANCTA ELISABETHA, LUSITANIÆ REGINA, VIDUA, TERTII ORDINIS S. FRANCISCI. Conimbricæ in eadem Lusitania.

## VITA Auctore Anonymo fere coævo. Ex Codice antiquo monasterii S. Claræ Conimbricæ, Lusitana lingua scripto, hic in Latinum translato.

## PROLOGUS AUCTORIS ET FIDES.

Ne lapsu temporis ex hominum memoria excidant, tum vita, quam in hoc mundo duxit nobilissima Domina Elisabetha, Dei gratia, Regina Portugalliæ & Algarbiorum; tum exitus, quem habuit: tum etiam, ut conservetur memoria rerum, quas Dominus noster Jesus Christus per illius intercessionem, tam in vita, quam post mortem, operatus est; describam res ab ipsa, in vivis agente, gestas, dum adhuc recenti recordatione sciuntur, & superstites sunt multi utriusque sexus homines, fide digni, qui illas viderunt atque interfuerunt; quæque toti regno Portugalliæ notoriæ sunt, prout infra narrabimus ejus gesta opera & vitam, nihil addendo, nihil variando, quod a veritate alienum sit.

## CAPUT I.
## Majores, fratres, educatio Elisabethæ.

[Majores Elisabethæ,] Hæc Regina originem traxit e Domo Aragonica, filia Regis Petri & Reginæ Constantiæ. Hic Rex Petrus fuit filius Regis Jacobi & Reginæ Violantæ; filiæ Regis Hungariæ. Rex iste Jacobus eripuit Mauris

**insulas, Majoricam & Minoricam & Ebusum & Ophiusam & totum Valentiæ regnum; fecitque illa juris sui; & obtinuit Murciam adjuvando Regem Castellæ.**

**[3] [fratres ac sorores,] Regina Constantia fuit filia Regis Manfredi, qui Manfredus fuit filius Imperatoris Frederici. Dum vero esset adhuc Infans Rex Petrus, habuit ex Constantia Infantes, filios & filias; & fuerunt, Alfonsus, qui post Regem Petrum regnavit, & sine liberis obiit; Et Jacobus, qui regnavit in Sicilia, & post obitum Alfonsi, regnavit in regno Aragonico. Et Fredericus, qui nunc appellatur Rex in Sicilia; & Petrus, qui obiit in Regno Castellæ, tempore quo Infantes, Alfonsus & Ferdinandus de la Cerda, bellum gerebant contra Regem Ferdinandum Castellæ; volentes nominari Reges, Alfonsus quidem Rex Castellæ; Ferdinandus vero Rex Legionis. Habuit quoque filias Violentam, quæ fuit uxor Regis Roberti, filii Regis Caroli, fratris sancti Ludovici, qui fuit Episcopus Tolosanus, & hanc Reginam nostram Elisabetham.**

**[4] Hæc autem Elisabetha tempore suæ nativitatis prodiit ex utero involuta in tegumento pellis, ita ut nullum ejus membrum appareret; [nativitas insclita,] quam pellem Regina ejus mater curavit includi in capsa argentea, quam reposuit inter thesauros suos. Nata autem fuit hæc Elisabetha Regina, quando currebat annus Æræ Cæsareæ millesimus trecentesimus nonus, quia vero mater Regis Petri fuerat filia Regis Hungariæ, & fuerat soror sanctæ Elisabethæ; huic Reginæ Portugalliæ fuit impositum nomen Elisabethæ.**

**[5] [pax in nativitate ejus conciliata inter patrem & avum.] Tempore autem nativitatis ejus magna bella excitata erant inter Regem Jacobum & ejus filium Infantem Petrum, patrem hujus Elisabethæ, adeo ut Rex nollet videre Infantem Petrum filium suum, nec aliquem ex filiis ejus, qui jam erant nati omnes; quamdiu Rex Jacobus**

vixit; & elegit hanc Elisabetham, quam sibi magnopere dilectam habebat, multoties de illa dicendo, quod sua neptis, & hujusmodi alumna, debebat esse melior mulier, quam omnes, quæ originem habuerunt ex domo Aragonica; & in eo tempore fuit reconciliatus Infans Petrus cum dicto Rege patre suo.

[6] Translato autem ex hac vita Rege Jacobo, regnavit Rex Petrus: & in insulis Majoricatum Jacobus, [De exequiis avi & pompa funebri.] frater germanus Regis Petri; & iste Rex Jacobus Pater in vita sua donavit filio suo Jacobo, qui natus fuit post Petrum, regnum Majoricæ & comitatum Ruscinonensem, & dominium Montis-Pessulani. Et dicebat hæc Regina Elisabetha, se recordari, quod dum deferebatur Rex Jacobus, avus suus defunctus, ad Populetum, ubi ipse elegerat suam sepulturam, viderat post eum ire duos Reges, filios suos, & tres Reginas, quæ erant, mater hujus Elisabethæ, & Regina Violanta, quæ fuit uxor Regis Alfonsi, Filii Regis Ferdinandi, qui per bellum recuperavit Hispalim a potestate Maurorum; & alia Regina, erat uxor Regis Jacobi, ad quem spectabat regnum Majoricæ.

[7] Jam vero dum regnabat ipse Petrus, misit ei nuntios Rex Angliæ, [Singularis amor patris in hanc filiam.] petens filiam ejus Elisabetham uxorem filio suo, primo heredi. Petiit quoque illam Rex Siciliæ Carolus filio suo Roberto collocandam; cum quo postmodum contraxit matrimonium Violanta, soror germana Elisabethæ. Adeo autem hæc filia Elisabetha erat dilecta a Patre suo, tantaque in æstimatione ab illo habebatur, ut diceret, sibi grave futurum, dimittere filiam hujusmodi e domo sua, per quam cognoscebat, res suas domi & foris mirum in modum prosperari: esse illam dissimilem aliis id ætatis puellis, propter eximiæ bonitatis indolem ac virtutem.

[8] Jam dicta porro Violanta ex hac vita migravit, [Violanta soror, Roberto nupta] antequam Rex Robertus regnaret: & habuerunt filios, nuncupatos Petrum, & Carolum Ducem Calabriæ, qui postmodum ex hac vita migrarunt, vivente adhuc & regnante illorum patre. Subditi porro dicti Regis Petri opinabantur, quod Rex non sequeretur bonum consilium, quatenus volebat retinere in domo sua dictam suam filiam Elisabetham, & recusabat illam dare alicui ex viris tam nobilibus, qui eam petebant, in matrimonium.

## ANNOTATA.

Legebatur in versione nostra Ms. id est Latina Romæ facta ex antiqua lingua Lusitanica, Regis Angliæ; manifesto errore interpretis, orto ex vocabulo Lusitanico contracte, certe non integre, scripto, cum debuisset scribere Regis Hungariæ, uti habet vita impressa a Brandano Lusitanice; & mox num. 4 patebit, uxorem Jacobi I Aragoniæ Regis Violantam, aliis Yolantam, fuisse filiam Andreæ secundi, Hungariæ Regis; cum dicetur, Violantam illam fuisse sororem Elisabethæ, Lantgravio Hassiæ matrimonio junctæ & sanctimonia clarissimæ, quæ certo scitur Andreæ Hungarorum Regis fuisse filia, videlicet ex primo ejus thoro; Violanta vero ex secundo: itaque sorores fuerunt non uterinæ. Atque ex illa sancta Elisabetha, sorore aviæ suæ Violantæ, jam dudum anno 1235 Sanctis adscripta a Gregorio PP IX, Elisabetha nostra nomen in baptismate accepit.

Majorica & Minorica, Baleares insulæ in mari Mediterraneo satis notæ sunt. Ebusus & Ophiusa, minus claræ, veniunt nomine communi Pityusarum insularum, spectantque ad regnum Valentiæ. In nostro Ms. Lusitanico vocantur Iviça & Fromenteira; quod ultimum nomem interpres Romanus Latine verterat Frontispicium, utique ex ignorantia loci.

Nempe in sociali bello, quod Jacobus Aragoniæ & Alfonsus Castellæ Reges, egerunt contra Mauros Murciæ & Granatæ anno 1266. Quando & Murciam civitatem Rex Jacobus intercepit.

Ex quo, frater suus Jacobus prædictus, Rex Aragoniæ institutus & coronatus fuit Cæsaraugustæ 24 Septembris 1291. Ipse vero supervixit in Sicilia usque ad annum 1337: ante quem annum hic insinuatur per illud nunc, vitam Elisabethæ scribi cœpisse. Qua de re vide Comm. prævium num. 17.

Legebatur hic in utroque textu Lusitanico, Anfonsus & Joannes, indubie per errorem, pro Alfonsus & Ferdinandus. Fuerunt namque Alfonso X, Castellæ Regi, filio Ferdinandi Sancti, duo filii ex conjuge sua Violanta seu Yolanta, filia Jacobi primi Aragonum Regis, avi Elisabethæ nostræ; Ferdinandus primogenitus, & Sancius secundo loco natus. Ferdinandus hic, vivente patre Alfonso, suscepit ex Blanca, sancti Ludovici Francorum Regis filia, binam prolem masculam, dictos historicis communiter de Cerda sive de la Cerda, Alfonsum & Ferdinandum; & Ferdinandus horum pater obiit anno 1275. Hijuvenes jure paterno succedere debebant in regna avi sui Alfonsi X; sed hic, seclusis nepotibus, regnare voluit filium suum secundo genitum Sancium, qui & cum ipso & post ipsum regnavit. Hæc præmonenda fuerunt, ad elucidandum præsentem historiæ locum, ubi infantes de la Cerda vocantur Alfonsus & Joannes; quod differt a communiore Historicorum placito, appellantium illos, Alfonsum & Ferdinandum, uti & appellat Bonifacius PP. VIII in suo brevi ad Ferdinandum, Sancii filium, Alfonsi X nepotem, tunc Castellæ & Legionis Regem, quem hortatur, ut concordiam ineat cum patruelibus suis, videlicet Alfonso & Ferdinando, natis quondam Ferdinandi patrui tui. Ita apud Odoricum Raynaldum ad annum 1301, num. 21. Vel igitur textus noster hic aberrat, dum Alfonsi

de la Cerda fratrem vocat Joannem, pro Ferdinando; vel Ferdinandus hic debet binominis fuisse, quod aliunde nondum didici.

Hic Ferdinandus, uti jam dixi, filius Sancii, nominis sui quartus, regnavit ab anno 1295 usque ad 1312. Hoc igitur intervallo temporis prædictus Infans Petrus, Aragonum Regis filius, occubuerit in bello Castellano.

Qui Carolus, nominis sui secundus in regnis Siciliæ, præter duos, hic nominatos filios, Robertum & Ludovicum, genuit ex Maria, Hungariæ regina, septem vel octo alios, & filias sex, rara principibus felicitate. Quorum nomina si quis noscere cupiat, consulere potest Nicolai Parthenii Giannettasii Societatis nostræ Historiam Neapolitanam tom. 2 pag. 57, & alios. Huc id non magnopere spectat.

Est in annus a nativitate Christi Domini millesimus ducentesimus septuagesimus primus. Epocha namque Æræ Cæsareæ anticipat epocham Christi annis triginta octo: atque adeo ubicumque inveneris in hac vita certum annum Æræ Cæsareæ detrahe annos 38 & habebis annum Christi, Æræ prædictæ correspondentem. Hæc notanda initio fuere, ut ne lector, minus Chronologiæ peritus, hæsitet in sequentibus, ubi scriptor passim utitur eadem Æra.

Hic iterum legebatur, Regis Angliæ, per errorem, uti sequentia verba declarant, quibus Violanta, mater Petri Aragoniæ Regis, vocatur soror sanctæ Elisabethæ, utique Hungaricæ; uti jam notavi supra annotat. a.

Nomine Esclaramunda, Rogerii Bernardi Comitis Fuxensis filia, per maritum Regina Majoricarum.

Videlicet Eduardus, nominis sui quartus, qui regnavit ab anno 1273; & anno 1307 mortuus, successorem habuit filium suum Eduardum quintum.

Anno 1302, post matrimonium quinquennale, cum Roberto contractum anno 1297. Supervixit autem socer ejus Rex Carolus usque ad annum 1309; quo Robertus, ducta jam uxore altera, cœpit regnare.

## CAPUT II.
## A multis expetita in uxorem, desponsatur Lusitaniæ Regi Dionysio, ad eumque deducitur maximo patris sensu, ob amorem quo filiam illam prosequebatur.

Cum itaque dicta Elisabetha ita educaretur in domo patris sui, post obitum avi sui Regis Jacobi; [Elisabetha in conjugem a pluribus petita,] jamque pervenisset ad ætatem novem annorum, ex hac vita migravit in Lusitania Rex Alfonsus die decima sexta a mensis Februarii, Æra millesima trecentesima decima septima, & cœpit ibidem regnare Dionysius ejus filius, qui audiens, Petrum Aragoniæ Regem, qui per id tempus ob facinora bellica resque præclare gestas, excellebat, fama ubique terrarum divulgatus; habere duas filias legitimas, ex quibus una erat dicta Elisabetha; misit eidem legatos suos & procuratores, qui dictam ejus filiam sibi peterent uxorem. Pervenerunt autem legati isti ad domum Aragoniæ, eo tempore, quo similiter illuc venerant nuntii Regis Angliæ, & filii Regis Caroli, qui omnes prætendebant sibi uxorem dari eamdem Elisabetham.

[10] Inter hæc considerans dictus Rex Petrus, quod unus illorum, qui volebant matrimonium contrahere cum filia sua, [a Rege patre omnibus consideratis,] erat jam Rex; quodque filia sua poterat discedere e domo sua cum

titulo Reginæ Portugalliæ; considerans item, quod inter se & dictum Regem Portugalliæ Dionysium nullum intercederet impedimentum sanguinis, vel alterius generis; quodque ea de causa posset hujusmodi matrimonium contrahi absque dispensatione Pontificis Romani; qua opus fuisset, si filiam suam despondisset filiis Regis Angliæ, aut Regis Caroli, propter consanguinitatem, quæ intercedebat. Considerans denique Petrus, [desponsatur Regi Lusitaniæ.] quod (tametsi ægre a se dimitteret filiam illam) id tamen Deo disponente fieret in gratiam ejusdem filiæ (hæc enim jam tum in tenella ætate deserviebat Deo per orationes, jejunia & eleemosynas; solabaturque legatos, qui ad patrem suum missi tam celeriter fuerant a Rege, quocum dispensatio ad contrahendum necessaria non erat) consensit in matrimonium ejus, cum Rege Lusitaniæ Dionysio ineundum: & mox contracta fuerunt sponsalia per procuratores, Equites, ad id a Rege Lusitaniæ deputatos, subditos ejusdem Regis, e Lusitania oriundos.

[11] [Sensus patris ob discessum filiæ.] Dies certus, in quo deberet Rex Aragonum mittere suam filiam Regi Portugalliæ, constitutus fuit: misitque pater cum illa episcopum Valentiæ, & alios equites ex nobilioribus sui regni; quamplurimas etiam matronas & virgines aliasque mulieres: magna item munera & supellectilem argenteam ei dederunt Rex & Regina, illius parentes. Regi porro Petro, patri ejus, molestum erat, & extraneum ei videbatur, quod a domo sua discederet sua prædicta filia, quam tantopere diligebat, existimabatque, quod, illa in domo sua commorante, recipiebat a Deo magna beneficia. Et hoc multoties repetebat.

[12] [Iter suadetur maritimum.] Ideo Legati Regis Portugalliæ timentes, ut Rex tandem permitteret discessum filiæ suæ; consilium ei dederunt, ut propter infesta bella, quæ eo tempore gerebantur inter Regem

Castellæ Alfonsum, & Infantem Sancium ejus filium, qui post eum regnavit; dicta Elisabetha per mare iter faceret ad regnum Portugalliæ. Timebat quippe etiam Rex ipse Petrus, ne propter subsidia, quæ ferebat dicto Infanti Sancio contra Regem Castellæ ejus patrem; dictus Rex Castellæ impediret iter filiæ suæ. Quamobrem & determinatum fuit, ut mari faceret iter.

[13] [mutatur a patre in terrestre,] Attamen Rex mutato consilio, dixit suæ filiæ, Deus qui te vocavit ad hoc matrimonium, & te custodivit, ut exires e domo mea, Regina nominata; ipse dignetur te custodire sine impedimento in hoc itinere. Et tunc iniverunt iter versus Lusitaniam per regnum Valentiæ, & Rex comitatus fuit filiam suam, illamque amplectebatur cum lacrymis, [& filiæ ultimum bene precatur.] dicens; Vidistisne hominem, tam male consideratum, quam ego sum, qui dimittat a se rem toto mundo carissimam dilectissimamque? Et multoties illi suam benedictionem dabat, dicens: Filia, tu terras petis alienas: ego te educavi & docui; nihil amplius habeo quod tibi consulam. Nullam equidem vidi creaturam, quæ possit tecum comparari, quod spectat ad intellectum & bonos mores, quibus dotata es. Atque ita discessit Rex a filia sua; & plurimi equites tam Aragonum, quam Catalaunorum illam porro comitati fuerunt usque ad regnum & dominationem Castellæ.

[14] [Excipitur honorifice a patruele Sancio] Ubi primum eo pervenit, obviam habuit Infantem Sancium fratrem suum patruelem, qui magnos honores exhibuit tum Reginæ, tum omnibus equitibus, illam comitantibus, & dixit; Soror mea, plurimum sibi me obstrinxit Rex Petrus pater vester, per copias auxiliares, quas mihi hoc bello submisit: nec scio alium, cui plura debeam toto mundo, quam ipsi. [deduciturque in Lusitaniam;] Quamobrem ego quidem magnopere vellem te comitari ac deducere usque in Lusitaniam: sed nequeo; quia magnis denuo hic

occupor bellis, quæ me loco cedere non permittunt. Attamen tecum mittam Infantem Jacobum, germanum meum & tibi fratrem patruelem, qui te comitabitur, & salvam perducet in Lusitaniam. Tum Infans Jacobus sponsam regiam deduxit usque ad terram Brigantiæ regni Lusitaniæ.

[15] Cum vero illuc advecti sunt, invenerunt ibi Infantem Alfonsum, [ubi consignatur missis obviam a Rege sponso.] fratrem germanum Regis Dionysii; & Comitem Portugalliæ, qui nuncupatur Gundisalvus, cum aliis plurimis Portugalliæ Præsulibus & Equitibus, qui illic expectabant ad inserviendum Reginæ. Tum vero dictus Infans Jacobus, consignata Regina dictis Lusitanis, reversus est in Castellam: isti vero illam porro duxerunt ad oppidum Trioncosum, ubi Rex Dionysius ei obviam venit, ibidemque celebratæ fuerunt nuptiæ: & Rex designavit ei officiales ad servitium, ac dominia ad usum.

## ANNOTATA.

Dies XVI Februarii, legitur in apographo Lusitanico Ms. in impresso autem apud Brandanum est dies XIII ejusdem mensis, alterutrius errore. Vasconcellus in gestis Alfonsi hujus, diem obitus nullum signat, contentus dicere, obiisse anno Christi 1279; qui etiam in hac Vita designatur per annum Æræ Cæsareæ 1317. Diem ego XVI Februarii præfero; quia in libro obituario ecclesiæ sanctæ Crucis Conimbricæ legitur Rex obiisse XIV Kal. Martias, teste Brandano Part. IV.

De Carolo hoc, ejusque filio Roberto, satis etiam dixi ibid. litt. I. & X; quod nempe Robertus pro Elisabetha nostra, quam ambiebat, tandem anno 1297 duxit ejus sororem Violantam.

Nominantur a Vasconcello uti & a Curita, legati isti, Joannes Velho, Joannes Martinius & Vascus Pirezius.

Hic S. Ferdinandi, Regis Castellæ filius, Violantam Petri Aragonici sororem duxerat, primogenitique sui Ferdinandi demortui filiis prætermissis, successionem regnorum contulit in filium secundo genitum Sancium; qui & ipsum patrem deinde bello exagitavit atque expulit e suis ipsius regnis, improbus hac parte filius. Huic Sancio, contra patrem ejus Alfonsum, suppetias tulit Petrus Aragoniæ Rex, atque ita recepta protectaque a Sancio Elisabetha, per regnum Castellæ deducta fuit in Lusitaniam.

Brigantia, nota urbs, cum titulo Ducatus in Lusitania, versus limites regnorum Legionis & Galleciæ.

Lusitanis Trancoso; quod media nondum via est a Brigantia Ulissiponem versus; in episcopatu Visensi, inter Lamegum & Guardiam.

Ita in more positum esse Regibus Lusitaniæ, dicit idem Vasconcellus, ut sibi nuptis assignent peculiares redditus ex certis oppidis amplissimos; peculiares quoque aulicos ac ministros.

## CAPUT III.
## Occupationes Reginæ in aula. Filia Constantia, Regi Castellæ nupta, moritur. Ejus animam e purgatorio liberat videtque.

[Occupationes Reginæ jam nuptæ.] Hæc Regina postquam nupta fuit, incepit se occupare in servitio Dei, dando eleemosynas pauperibus juxta facultates suas, jejunando, commiserando errantium & oppressorum, & recitando horas Canonicas breviarii: colligebat quoque in filo uniones; aliosque labores faciebat manuales, mandabatque talia fieri a suo quoque gynæceo, matronis

atque virginibus; regebatque suam domum tam provide & solicite, acsi jam pervenisset ad ætatem viginti quinque aut triginta annorum. Hoc modo cœpit Regina transigere suum tempus ac disponere de redditibus suarum terrarum: quæ vero sibi dabantur a Rege, magna parte distribuebat in pauperes, egenos, & monasteria & mulieres verecundas ac in necessitatibus constitutas.

[17] [Anno ætatis 17 parit filiam Constantiam,] Cum pervenerat Regina ad ætatem decem & septem annorum, peperit filiam Constantiam, quæ postea fuit conjux Regis Castellæ Ferdinandi, ex eaque Canstantia dictus Rex Ferdinandus habuit filios, Alfonsum Regem Castellæ, & Eleonoram, quæ fuit Regina Aragoniæ & uxor Regis Alfonsi; filii Regis Jacobi fratris dictæ Reginæ Elisabethæ; & ex hac vita migravit Regina Constantia in ætate Juvenili. Evenit autem quod paulo post, quam dicta Regina Constantia ex hac vita migravit, dum iter faciebat. Elisabetha cum Rege Dionysio marito suo ex oppido Santarem ad civitatem Ulissiponensem; [quæ deinde nupta & mortua] cum pervenisset ad oppidum, nuncupatum Azambuia; quidam eremita occurrit Reginæ, clamans, & dicens; Per Deum, te precor, Domina, exaudi me, quia habeo quod tibi dicam; prohibitus autem sum a tuis famulis circum circa comitantibus, ne tecum loquerer, & ad te pervenirem.

[18] [& pœnas purgatorii sustinens,] Regina id audiens, mandavit, ut ad se adduceretur eremita; qui alta voce, ita ut circumstantes audire possent, sic locutus est: Domina Regina Castellæ, filia tua, Constantia, ex hac vita migravit, [matris opem implorat;] & in somniis mihi apparuit aliquoties in eremitorio, in quo vivo, dicens mihi, quod tibi nuntiarem, qualiter pœnas purgatorii ferebat; atque sibi subvenires; & modus subveniendi, esset talis. Nimirum, ut curares pro ea Missam celebrari singulis diebus per anni spatium a presbytero casto, qui offerat

sacrificium super altare, prout est ordinatum a sancta matre Ecclesia.

[19] [peractisque divinis per annum sacrificiis] Audito eremitæ nuntio, circumstantes inceperunt ridere, dicentes; Si Regina Constantia pœnas pateretur in purgatorio, debebatne in somniis apparere tibi? An vero patri, aut matri suis, ejusve fratri? Regina vero interrogavit, utrum aliquis cognosceret dictum eremitam; qui responderunt, quod nemo ex illis illum cognoscebat, nec sciebat locum habitationis ejus, & postquam in dicto loco de Azambuja requieverunt, [ex mandato eremitæ] fecit & mandavit Regina quæri dictum eremitam ad loquendum cum eo, quem non invenerunt; nec sciverunt locum, ubi habitabat, aut iter quod arripuerat. Et Regina retulit supradicta Regi Dionysio, qualiter præfatus eremita ei apparuerit; quodque postmodum mandaverit illum quæri; sed repertus non sit.

[20] Rex vero respondit, esse consentaneum fieri id, [& voluntate Regis;] quod eremita asseruit: & Regina mandavit, quæri quemdam sacerdotem, Ferdinandum Mendes, qui prout passim homines credebant, in statu virginitatis a nativitate sua permanebat, eratque honestus & castus vir: cui Regina injunxit, quod ex ea die Missam celebraret pro anima filiæ suæ Constantiæ, Reginæ Castellæ, per singulos sequentes dies, per totum unum annum & usque ad complementum ejus. Quod ita fecit dictus Ferdinandus Mendes.

[21] Anno autem finito, dum Rex & Regina residerent in civitate Conimbricensi, [apparuit matri filia, gratias agens, & abiens in cælum:] apparuit in visione quadam nocte dicta Constantia dictæ matri suæ Elisabethæ, & secundum ea, quæ referebat dicta Elisabetha, sibi apparuit vestimentis albis vestita, & dixit: Domina mea mater, jam libera sum a pœna, qua torquebar, & vado ad

locum, ubi in perpetuum nullam pœnam patiar: laudatus sit Deus in æternum. Regina vero in dicta visione, a somno excitata, id Regi nuntiavit; qualiter sibi apparuerit filia sua inter somniandum.

[22] Diluculo autem, dum esset Regina suo in loco, [quam ob rem mater gratias Deo solenniter egit.] ad audiendum Missam, venit dictus clericus Ferdinandus Mendes ad eam, dicens: Domina, pro quo nunc tibi placet, ut in posterum Missas celebrem, quia jam annus finitus est, ex quo mihi mandasti, ut celebratem pro Regina filia vestra? Regina vero dicebat, quod in illa hora, & quando visionem illam vidit, non fuerat recordata de dictis Missis, quas pro ea celebrari mandaverat; id vero tunc recognoscens, gratias Deo egit, in ejusque honorem fecit celebrari alias Missas solennes per religiosos presbyteros; & alias eleemosynas elargita est.

## ANNOTATA.

Iste fuit filius Regis Sancii; nepos Alfonsi ex amita Elizabethæ Jolanta, pronepos Ferdinandi sancti, pariter Castellæ Regum sui nominis quartus; duxitque Constantiam, Dionysii atque Elisabethæ Regum Lusitaniæ filiam, anno 1301, tunc natam annos 13. Suscepit ex ea Ferdinandus duos tantum Infantes, de quibus mox, Alfonsum atque Eleonoram.

Qui fuit undecimus sui nominis, atque ab obitu patris sui Ferdinandi, subitane a morte defuncti anno 1312, cœpit regnare adhuc plane infans, regnavitque ad usque an. 1350, quo obiit.

Hic Alfonsus Aragoniæ Rex IV sui nominis, Jacobi II filius; duxit tandem anno 1329 Eleonoram, Alfonsi Regis Castellæ sororem, ex eaque sibi neptem Reginæ nostræ ex filia Constantia, ipse nepos ejusdem ex fratre Jacobo.

Anno 1313 die 18 Novembris, uti notat Brandanus ex Obituario Canonicorum Regul. de Oliveira, Archiepiscopatus Bracarensis, non diu superstes post obitum mariti Regis Ferdinandi, qui inciderat in diem 7 Novembris anni præcedentis.

Hispanis Santaren, Latinis passim Scalabis; olim, ut aiunt, Julium Præsidium; prope Tagum fluvium. Distat Ulissipone leucas circiter quatuordecim.

Vasconcello vocatur Latine Arambuja, aliis Azambuja. Ex itinere, quod Reges instituebant Scalabi Ulissiponem, colligitur, inter utramque illam civitatem, ejus situm quæri debere; estque ad dextram Tagi ripam, fere media via.

## CAPUT IV.
## Nascitur Elisabethæ filius, successor Alfonsus. Æquanimiter fert lubricos amores mariti. Pacem conciliat inter Reges Castellæ & Aragoniæ.

[Elisabethæ an. 20 ætatis, parit filium, in regno successorem.] Cum porro Regina Elisabetha pervenisset ad ætatem viginti annorum, peperit filium Regem Alfonsum Portugalliæ, istius nominis quartum, qui natus fuit in civitate Conimbricensi die octava Februarii anni millesimi trecentesimi vigesimi noni, qui regnavit post Regem Dionysium, patrem suum, & dum esset Infans, uxorem duxit Beatricem, filiam Regis Sancii Castellæ, & Reginæ Mariæ, uxoris dicti Regis Sancii; quam, dum puella adhuc esset, adduxerunt ad regnum Portugalliæ, illamque educarunt Rex Dionysius & Regina Elisabetha, prout decebat filiam Regis.

[24] [Leniter fert lubricos mariti amores,] Cumque viverent maritaliter præfati Reges Dionysius & Elisabetha, observantes obligationes matrimonii, ut oportet inter conjuges; non defuerunt, qui Regem allicerent ad

peccandum cum aliis infestis mulieribus & concubinis, illumque dimoverent a sua conjuge, & incepit Rex habere concubinas; genuitque ex illis filios. Regina autem, licet eo tempore in ætate juvenili versaretur, sciretque quidquid Rex faciebat, nihilominus simulabat coram hominibus, ac si sua id nihil interesset. Quando autem ei referebant; nunc Rex talem, nunc talem admisit concubinam; tunc ipsa, monstrans id sibi curæ non esse, incipiebat orare & legere suos libros, & intendere aliquibus rebus, spectantibus ad servitium & laudem Dei cum suis matronis & virginibus.

[25] [eoque reducit ipsum ad saniora consilia,] Propter hanc Reginæ indolem & animi compositionem, quæ Rex non ignorabat; consciusque, qualiter tacendo suum occultabat dolorem & fastidium, nec ulli conquerebatur; ipse ab errore suo & injuria, quam suæ uxori faciebat, revocatus est; timebatque Dei iram, quia non observabat matrimonii leges, prout a Deo & sancta Ecclesia stabilitæ sunt. Propter has considerationes, incepit Rex desistere a prava consuetudine peccandi. Quod si quando deinceps in simile peccatum incideret, id tam occulte faciebat, ut nulli innotesceret.

[26] Habuit interea Rex filios & filias ex dictis mulieribus: quos Regina benigne tolerabat atque ad se adduci mandabat; [mirantibus subditis, quod tam patienter illa ferret.] quibus & vestimenta & alimenta subministrabat: quin & educabat illos, atque in nutrices eorum æque ac in alumnos plurima conferebat bona. Hinc præcipue mirabantur familiares & subditi ejus, quod tanta cum esset Regina, in tam juvenili ætate constituta, tanto intellectu & mentis compositione a Deo prædita, nullum in se dolorem aut rancorem conciperet ex actis talibus, ex quibus mulieres non mediocri solent excruciari dolore.

[27] Postquam Regina venit in Lusitaniam, exorta fuit discordia inter Regem Dionysium, [Conciliat Regi fratrem ejus,] & Infantem Alfonsum ejus fratrem. Quod considerans Regina, jamque videns, Regem obsidere aliquot castella, quæ Infantis erant, ne invalesceret discordia, tractavit per se & per suum consilium, tum Prælatorum, tum & aliorum proborum virorum, quo modo componi pax posset inter Regem & ejus fratrem Infantem. Deinde ad concordiam & pacem faciendum, tradidit ipsa Regi oppidum de Sintra, quod possidebat dono Regis, deditque Rex alia loca infanti, quo se sustentaret redditibus illorum: effecitque ut Infans remaneret cliens Regis, eique clientelam præstaret, quoties opus foret.

[28] Si quando animadvertebat, Regem animo commotiorem esse in aliquem subditorum, [& aliorum odia, qua potest, tollit.] non justa de causa, ex prava suggestione malevolorum; dextre placabat iram ejus, explicando rei veritatem, ut erat. Numquam tamen voluit deprecari Regem, ubi de justitia agebatur, ut malefactoribus justas pœnas remitteret. Quod si odia forte discordiæque nascerentur inter subditos regni sui propter damna illata aut homicidia; ipsa statim per se & per alios operam dabat, ut dissidentium animi reconciliarentur; & pax coalesceret. Quod si, qui damna intulerant, non haberent quo satisfacerent; ipsa Regina e bonis suis satisfaciebat parti læsæ, quo concordia redintegraretur. Et sane miram capiebat voluptatem ex eo, quod videbat inter suos, sublatis dissidiis odiisque, concordiam regnare.

[29] Cum magna excitata esset discordia inter Regem Ferdinandum Castellæ, [Orta inter Reges Castellæ & Aragoniæ discordia,] generum hujus Reginæ & Regem Jacobum Aragoniæ, fratrem ejusdem Reginæ, propter loca nonnulla & oppida, quæ Rex Aragoniæ tenebat, erepta Mauris armorum vi: quæque Rex Castellæ ad

suam proprietatem spectare dicebat; Rex vero Aragoniæ contrarium asserebat: atque etiam super rebus aliis & prætensionibus, inter eos existentibus: hæc Regina Elisabetha, considerans quam irreparabile damnum ex tali bello sequeretur in Hispania; unde & plurimæ mortes subditorum hominumque innocentium, plurimæque ruinæ locorum & civitatum evenire necesse esset.

[30] Intelligens quoque & timens, quod, si hoc bellum per multum tempus duraret inter dictos Reges; [ex qua prævidens gravia Christianis proventura damna,] Mauri & infideles, Catholicæ fidei inimici, possent inter se uniri, & arma sua Christianis inferre: ut hujusmodi bellum & discordia, quæ inter dictos Reges exorta erat & crescebat, evitaretur, tantopere hæc Regina laboravit per se & alios, [curat litem in arbitrio Regis Lusitaniæ poni;] ut dicti Reges Castellæ & Aragoniæ in eo convenirent & compromitterent, ut Rex Portugalliæ Dionysius, judex esset super hujusmodi negotio. Hinc se obligarunt sub certis pœnis, ut starent judicio, quod Rex Portugalliæ inter eos determinaret, & obedirent cuicumque sententiæ, ab eodem prolatæ.

[31] [quocum ipsa tendit Turiasonem, locum convenius,] Quamobrem venerunt Rex Dionysius & hæc Regina Elisabetha ad civitatem Turiasonensem, dominii Regis Aragoniæ, transeuntes per regna Legionis & Castellæ; & in dicta civitate insimul fuerunt congregati Rex Ferdinandus Castellæ & Regina Constantia, ejus uxor, & Regina, mater Regis Ferdinandi, Maria, & plurimi Infantes virique admodum divites Castellæ & Legionis, & plurimæ ac nobiles matronæ: in eadem quoque civitate præsentes fuerunt Rex Jacobus Aragoniæ, frater germanus hujus Reginæ, & Regina Blanca, ejus uxor, plurimique viri & feminæ nobiles Aragoniæ & Catalauniæ.

[32] [ubi Rex Lusitaniæ litem inter dissidentes componit;] Dictus autem Rex Dionysius inter eos extitit, ad illos componendum in pace, & justitiam administrandum, prout secundum jus foret consentaneum. Qui in primis audivit rationes Regis Castellæ, quas adducebat & allegabat ad confirmandum jus suum: & postea audivit rationes Regis Aragoniæ, quas ille allegabat exadverso: & visis utriusque partis rationibus, judicavit inter eos, prout de jure cognovit: atque ita dictos Reges ad concordiam reduxit, ut omne malum ac discordiam, inter eos excitatam, propter dictas prætensiones, penitus extingueret.

[33] Discesserunt autem ex isto loco Reges prædicti, omnino reconciliati inter se, [omnesque læti redeunt ad se.] atque etiam pacti sunt nova amicitiæ fœdera, ut alter alterum adjuvaret contra hostes suos: & unusquisque ad regnum suum se contulit. Rex autem Dionysius, & hæc Regina Elisabetha demorati fuerunt extra suum regnum Portugalliæ, [Facta hæc sunt, non anno Christi 1312, sed 1304.] pro dicta pace componenda, ex prima hebdomade Julii, quo discesserunt a regno suo, usque ad festivitatem sanctæ Mariæ in Septembri, ad quam festivitatem reversi fuerunt ad regnum Portugalliæ, qui annus tunc temporis computabatur millesimus trecentesimus quadragesimus secundus Æræ Cæsareæ.

## ANNOTATA.

Videlicet Æræ Cæsareæ, qui est Christi 1291.

Sciendum, hoc matrimonium contractum fuisse a parentibus anno 1298 inter Alfonsum, tunc septennem & Beatricem quinquennem, suo tempore ineundum. Ex illo tamen anno Beatrix in Lusitaniam traducta, sub disciplina Elisabethæ nostræ præcipue educata & instituta fuit; uti in hac ejus vita non semel confirmatur. De anno initi

matrimonii paulo post dicetur. Interea adscribo dicta hac de re Marianæ nostri lib. 15 cap. 2. A Castellæ Rege, Sancio IV, Dionysius Lusitanus in partes attractus, initio fœdere; quod gemina affinitate confirmatum est. Constantia, Dionysii filia,.... juncta Ferdinando est. Alcanitii ... solennitas peracta eo majori publicæ lætitiæ significatione diuturnæque concordiæ certiori spe; quod Beatrix, Ferdinandi Regis soror; Alfonso, Dionysii filio & heredi, octo annos nato, desponsata est. Et quo major esset fides, de matris Reginæ manu, socero tradita atque in Lusitaniam missa est. Hinc & nonnulla, quæ in decursu vitæ hujus de Elisabetha nostra & Beatrice, nuru ejus atque alumna, paucis subinde memorantur, claritatem accipient majorem.

Turiaso, urbs episcopalis in finibus Aragoniæ, versus regnum Castellæ. Videtur urbs illa ab interprete Latino confusa fuisse cum Tarascone in Provincia, quæ huc non spectat.

Ita correxi. Legebatur enim in utroque codice Lusitanico duodecimus, qui annus convenire hic non potest, sive æram Cæsaris sive Christi Domini accipias. Certum namque est ex historicis, Hieronymo Surita, Aragono; & Francisco Brandano, Lusitano; aliisque; congressum Regum, Jacobi Aragoniæ; & Ferdinandi Castellæ; arbitrum inter illos agente Rege Dionysio Lusitaniæ, factum fuisse anno Christi 1304, qui est æræ Cæsareæ 1342.

## CAPUT V.

## Regina iteratas inter maritum & filium discordias prudenter componit. Ipsa, ex aula dimissa & bonis spoliata, restituitur.

Postquam reversi sunt Rex Dionysius & Regina Elisabetha de regno Aragoniæ, fecerunt nuptias Infantium

sponsorum, Regis Alfonsi eorum filii, [Nuptiæ filii Alfonsi & Beatricis Castellanæ.] & Beatricis. Factæ autem fuerunt solennissime in nobili civitate Ulissiponensi: cum vero jam dictus Rex Alfonsus, dum Infans esset, veniret in partem regni cum uxore sua, ac de mandato patris commoraretur Conimbricæ, voluit pietatis ergo visitare ecclesiam sancti Vincentii Ulissiponensis, & relinquens Infantissam suam uxorem & filium suum, jam tum natum, Infantem Petrum, Conimbricæ, iter ingressus est: postquam vero illic pietati suæ operam sufficienter dederat, venit ad oppidum, quod vocatur Sintra. Interea Rex & Regina, illius parentes, discedebant Scalabi, Ulissiponem petentes.

[35] Cum Rex eo pervenisset, persuasum illi fuit a nonnullis, uti dicebatur, redigere filium in suam potestatem. [Dionysius Rex filium Alfonsum persequitur,] Quæ res tam secreto fuit acta, ut nemo unus quidquam sciret præter consiliarios ipsos. Morabatur illo tempore Infans adhuc Sintræ: & Rex pater processit ad locum, Lumear dictum, distantem leuca una Ulissipone; misitque illa nocte varias militiæ copias eo versus, ubi infans erat, mandans, ut vias omnes insiderent, quæ Sintram ducunt; nec sinerent quemquam eo transire; ne quis forte consilium Regis filio proderet.

[36] Dormiebat Rex nocte illa cum Regina, atque ita clam curavit parari omnia, ad iter necessaria, [qui ope matris evadit;] ut nihil consiliorum ejus aut agendorum prius innotuerit Reginæ, quam Rex discederet. Tum vero recogitans, quod discesserat clam se, cum armata manu; suspicari cœpit, id quod erat, velle Regem sibi subigere filium Infantem; ac statim certos homines dimisit per vias diversas, qui certiorem facerent Infantem & fugam suaderent, priusquam eo loci Rex perveniret. Res successit ex voto Reginæ. Nam Infans, priusquam Rex cum suis Sintram adveniret, jam certior factus de secreto ejus consilio, statim ex oppido discessit, venitque ad

locum illum, ubi ejus mater, quam a longo tempore non viderat, morabatur.

[37] [moneturque ab ea.] Interea autem dum isthæc dubio eventu agebantur, Regina cum suo gynæceo continuis operam dabat orationibus, curabatque multas celebrari Missas & officia recitari divina: & per has Reginæ orationes & pia opera, creditum fuit, Deum grande malum & gravissima damna avertisse a regno Lusitaniæ, quæ ei impendebant, si Rex in dicta civitate filium occupasset. Accesserant namque ad dictum oppidum cum Rege æmuli nonnulli, [ut Regi obsequatur.] quibus (uti dicebatur) volute fuisset, a Rege castigari filium Infantem. Ideoque quod per se ipsi facere non poterant; optabant illa nocte perfici ab instigato Rege in Infantem. Regina porro dimittens filium, materne ac potenter monuit, ut dicto audiens esset Regi; cum ipso rediret in gratiam; ipsum debito honore & obsequio prosequeretur.

[38] [Suggestionē malignorum] Post aliquod vero tempus, dum Rex demorabatur in oppido Scalabi, iterum suaserunt ei quidam, ut dimitteret Reginam, eamque privaret villis & oppidis ac redditibus, quæ habebat; significantes ei, quod nihil poterat statuere in domo sua, licet occultum, contra Infantem; quod non perveniret ad aures Reginæ, quæ de eo faceret certiorem Infantem; prout in dicto oppido Sintra evenerat; ubi Rex cogitavit, illum posse sub sua potestate redigi, quodque, si Regina haberet sua loca & oppida, ac reciperet redditus suos, semper ex eis poterat subvenire Infanti ad illum sustentandum.

[39] [jubetur Regina recedere ex aula & spoliari bonis suis;] Tali motus consilio Rex, constituit, ut Regina discederet ad oppidum Alanquer: & illam privarunt locis, oppidis & redditibus, quæ habebat. Cumque Regina

obedienter id ferens perveniret ad dictum oppidum, in eoque moraretur, convenerunt ad eam viri nobiles, Reginæ clientes, qui arces ipsius & munita loca, jurata fidelitate obtinebant; insinuantes, quod, si Regina privaretur oppidis & locis, ac bonis quæ habebat, aut dimittenda esset a Rege, possent ipsi bellum inferre Regi ex dictis arcibus, si in illis Regina recipi vellet. Venerunt quoque ad locum istum alii, qui dixerunt Reginæ, se audivisse, quod Rex eam ejecerat e domo sua, & privaverat bonis, quæ habebat; quodque eo venerant, ut scirent, utrum supradicta essent vera, quæ sibi dicta fuerant: ut autem certa esse compererunt, obtulerunt ei sua castella, in quibus posset tuto commorari, si modo vellet; atque ex illis bellum geri ad vindicandum injuriam, ei illatam.

[40] [quod tulit æquanimiter:] Ad hæc Regina respondit, quod sibi complacitum erat, quidquid Rex de se disponebat & mandabat; quodque (quandoquidem e servitio Regis aut beneplacito ejus id erat, ut in dicto oppido se contineret) ipsa idem prorsus sentiret probaretque: quando autem Regi placeret, ipsa pro se reducenda mitteret, sibique redderet quidquid in regno possidebat. Licet enim a Rege privaretur terris & oppidis suis, ab eo nihilominus sustentari se debere. Et hæc omnia respondit cum incredibili urbanitate.

[41] Cum vero plurimis, qui de redditibus Reginæ alebantur, [ac bellum suadentibus ad se vindicandum,] displicuisset sermo hujusmodi, qualiter Regina nolebat consentire aut mandare bellum geri; quodque etiam pro nihilo habebat injuriam sibi factam; attento & considerato, quod machinantes dictam injuriam contra Reginam, nullum inde honorem aut commodum consequebantur. Consulebatur quoque Reginæ, quod si ex dictis castellis bellum inferret, fore ut breviori tempore restitueretur in bona sua, quibus Rex eam privaverat.

Regina vero respondebat omnibus illis, qui simile consilium ei dabant; melius esse, quod ipsa paupertatem ferret toleraretque omnes injurias sibi illatas; quam consentire in bellum propter prædictas causas gerendum.

[42] Bellum quippe, inquiebat, involveret plurimos, [acriter resistit;] qui omni prorsus culpa carent, & innocentes sunt ab injuriis mihi irrogatis; atque illis, si bella gererentur, necessario damna inferri deberent, tam in bonis suis, quam in personis: itaque expresse prohibuit dictis præfectis arcium, ne ullum bellum ex illis gererent. Quamdiu autem Regina morata fuit in dicto oppido, fecit ad se venire plurimas feminas, quas intelligebat vitam sanctam ducere; faciebatque ipsa, illo in loco magnam abstinentiam, [& revocatur in aulam.] jejunando, certis hebdomadæ diebus sine obsonio; & tempus suum expendebat orando & recitando officia divina. Cumque per aliquod tempus ibi morata sic fuerat; Rex, cognita tanta Reginæ humilitate & mentis compositione, quibus prædita erat, misit qui illam reducerent ad se.

[43] Attamen crescente discordia in dies magis inter Regem & Infantem suum filium, [Rege filium Conimbricæ obsidente,] alias excitata, Rex accessit ad obsidendum civitatem Conimbricam, quam Infans ejus filius jam occupaverat, ad sustentationem ejus applicatam, & ad sustentationem famulorum ejus: & cum ibi existeret tota curia Portugalliæ, attamen divisa; alii namque sequebantur Regem, alii vero Infantem; magnam prorsus ruinam patiebatur terra illa. [venit eo Regina,] Tunc temporis illuc pervenit Regina, dolens de tanta discordia, quam videbat accrescere inter Regem & filium prædictos; [obsidionem solvit] moleste ferens tantam ruinam, quantam videbat fieri in regno suo. Et ubi primum ad dictam, seu prope dictam civitatem Conimbricensem pervenit; statim tractavit inter Regem & filium, effecitque, ut civitas liberaretur obsidione; & Rex se conferret ad

civitatem Leriensem. Effecit quoque, [ac filium patri reconciliat;] ut infans veniret ad dictam civitatem Leriensem ad salutandum patrem, ipsumque agnosceret tamquam Regem & dominum suum ac patrem; quod, uti vasallus & filius, facere tenebatur; utque Rex Infanti filio suo daret redditus, quibus posset sustentari, prout statui ejus competebat.

[44] Qua facta conventione, discessit Rex; ita persuasus a Regina, [ipsaque restituitur a Rege in possessionem bonorum suorum.] propter præclara ejus opera, quæ faciebat; evitatis damnis irreparabilibus & calamitatibus, quæ toti regno imminebant si discordiæ perdurassent. Rex vero cum videret tantas Reginæ virtutes, & opera tam egregia, in quibus se occupabat, ei reddidit loca, oppida & redditus, quibus privata fuerat, ut dictum est supra.

[45] Post aliquod vero tempus orta fuit alia discordia inter prædictos Regem patrem, & filium Infantem: [In alia filii & Regis contentione] non enim illis complacuit perseverare in concordia & conventione, in qua Regina illos composuerat, & tanta zizania inter eos seminata fuit, ut quo tempore volebat Infans accedere Ulissiponem, ubi Rex residebat; Rex obviam venerit duabus leucis a civitate illa, nolens consentire, ut illuc Infans accederet, dum ipse esset in loco prope dictam civitatem, nuncupato Loures; cumque milites Infantis vellent accedere ad civitatem Ulissiponensem, milites armati Regis prohibuerunt eis iter: cœpta est pugna inter milites Regis & Infantis. Ex utraque parte fuerunt acies formatæ & multi percutiebantur ictibus lapidum & telis, & utrimque cadebant plurimi vulnerati & interfecti inter acies.

[46] [ipsa per acies ac tela equitans,] Inter hæc Regina, videns Regem dominum suum & maritum, ejusque filium Infantem, in tantum periculum adductos, ad præcavendum majus damnum & mortes plurimorum, qui

inibi existebant, unusquisque ad inserviendum domino suo, quem sequebantur, prompti; tam magno dolore affecta fuit, & amoris inflammatione, ut per medias acies prorumpere non dubitaret, insidens mulo sine duce, & sine famulo, qui lorum mulæ teneret; & propter ictus lapidum & telorum, quæ emittebantur ex utraque parte, nullus aut vir aut mulier audebat illam comitari aut retro sequi.

[47] [iterum utrumque ad pacem inducit.] Interea, dum dicta Regina ita inter acies processit, non desierunt volitare lapides ac tela, ex utraque parte emissa. Permisit tamen Deus, cujus servitio Regina intendebat, illam liberari ab omni casu fortuito; & pervenit ipsa ad locum, ubi Rex erat; & ex eo loco reversa fuit ad Infantem; & aliquoties unam & alteram partem conveniendo; ita eos ad concordiam reduxit, ut persuaderet Infanti, se subjicere Regi patri suo, & manum ejus deosculari; Regi vero persuasit, benedictionem filio impertire, atque ita ex illo loco discesserunt reconciliati: voluitque Deus illo die per intercessionem & deprecationem Reginæ, liberare plurimos homines regni Portugalliæ a morte & aliis irreparabilibus malis.

## ANNOTATA.

Filiæ Regis Castellæ Sancii quarti, uti jam dictum est initio cap. IV. Quo præcise anno celebratæ sint istæ nuptiæ, nondum certo didici. Brandanus innuit annum 1309, qui est quintus a reditu Regum ex Aragonia.

Hic Petrus, post alios filios filiasque, Alfonso & Beatrici natus, in lucem venit anno 1320, die 19 Aprilis; & fratribus præmature mortuis, successit patri anno 1357, mortuus ipse decennio post.

Sintra sive Syntra, prope ab ostio Tagi fluminis versus septemtrionem, distans Ulissipone versus occasum solis æstivum, ad milliaria quatuor Hispanica. Vasconcellus nobile ac amœnum vocat oppidum, natalibusque Regis Alfonsi V condecoratum.

Videtur hæc prima Regis expeditio fuisse in filium, & contigisse anno 1320, postquam filius Alfonsus anno 1319 apertius affectare regnum patris cœperat, atque per Reginam Castellæ Mariam, socrum suam, curaverat rogari patrem suum, ut administrationem regni in se filium transferret. Est enim hæc Regis expeditio longe diversa ab illa (licet iisdem fere in locis circa Ulissiponem facta fuerit) quam Brandanus anno 1323 describit, quamque hæc quoque vita memorabit paulo post. In hac quippe prima expeditione Rex cum suis copiis consedit in loco Lumear, ut filium Sintræ commorantem, fere inermem, occuparet; sed is a matre præmonitus, fuga se salvavit. In altera, Rex consedit cum suis in loco, Loures dicto, quo & filius armatus accessit, & collatis signis initium pugnæ datum fuerat; quando supervenit Regina, mulo insidens, filiique animam flexit, pugnam diremit, & filium patri denuo conciliavit.

Alanquera seu Alanguera, oppidum a dextra Tagi ripa ad sesqui leucam, ab oppido Azambuja, supra nominato, leucis duabus, media quoque inter Scalabim & Ulissiponem. Hoc autem quasi exsilium Reginæ, accidit eodem anno 1320, uti notat Brandanus.

Hanc secundam Regis expeditionem in filium & obsidionem Conimbricæ, quam filius anno 1321 occupaverat, signat Brandanus an. 1322.

Leria, civitas episcopalis sub Archiepiscopo Ulissiponensi, distat Conimbrica circiter octo leucis versus occasum hibernum.

Hæc tertia expeditio Regis in filium & pugna; quam Brandanus describit anno 1323, uti modo, annot. d, monuimus.

## CAPUT VI.
## Exercitia pietatis Reginæ multimoda.

Exercitia Reginæ, vivente marito, istiusmodi erant. Qualibet die recitabat horas canonicas, [Reginæ exercitia pietatis;] & officium beatæ Virginis & defunctorum; faciebatque commemorationes plurimorum sanctorum & sanctarum; & frequentabat capellam, quam secum ferebat, valde divitem & abundantem ornamentis, cum capellanis suis & clericis, probe scientibus celebrare officia divina & cantare Missarum solennia juxta ritum sanctæ matris Ecclesiæ; a quibus Missæ celebrabantur in singulis anni diebus. Ad audiendum Missam quotidianam accedebat Regina, magna cum humilitate flexis genibus coram sacerdote, qui Missam celebrabat; deosculans ejus manus, & offerens munus suum ante altare, ab ea solitum offerri in qualibet die; quam oblationem augebat secundum qualitatem festivitatis.

[49] Hora quoque Vesperarum, venientibus ejus capellanis & religiosis ad eas cantandum, [in officiis divinis;] Regina quoque ad illas audiendum accedebat: & ea præsente Vesperas cantabant secundum qualitatem diei & festivitatis de præcepto Ecclesiæ consueto, novem vel trium lectionum. In illo tempore Regina jejunabat tribus diebus in hebdomade, [in jejuniis,] & in omnibus Vesperis sanctorum, in Adventu & Quadragesima; ita ut jejunaret; & faceret abstinentias pro majori parte, imo plus quam per tres anni partes. Amplius autem jejunasset, nisi impedita fuisset a Rege, qui nolebat in eo consentire; & prohibebat Reginæ, quod non jenunaret. Ejus vero jejunium procedebat hoc modo.

[50] Jejunabat a vespera festivitatis S. Joannis Baptistæ usque ad diem sanctæ Mariæ mensis Augusti; [etiam in pane & aqua;] & Quadragesimam, quæ dicitur de Angelis; quæ fit ex die sanctæ Mariæ Augusti; usque ad diem S. Michaëlis mensis Septembris; Adventum quoque & Quadragesimam, & ferias & sabbata, & vigilias Apostolorum, & sanctæ Mariæ, jejunabat in pane & aqua; & dies, qui dicuntur de sancta Maria per totum annum similiter in pane & aqua; & in plurimis vesperis festivitatum sanctorum, quos Regina singulari colebat devotione, & tunc ipsa faciebat vigilias & jejunabat.

[51] [in peregrinationibus;] Frequentabat etiam, iter faciens, pro sua devotione qualicumque loca pia & ecclesias, in quibus habitare sciebat religiosos aut religiosas, vitam sanctam ducentes; & multoties visitabat plurimas ecclesias, pedibus suis iter faciens, licet sitæ essent in longinquis partibus; providendo ecclesiis, ad quas accedebat, de omnibus necessariis. Nullus accedebat pauper, qui ab ea eleemosynam non reciperet. Hinc propter eleemosynas, quas largiebatur, pauperes expectabant, qua Regina viam faceret; veniebantque de uno ad alium locum & sedebant in viis & in introitu villarum & oppidorum viri ac feminæ, ut reciperent eleemosynas: & quamvis magnus esset pauperum numerus, nemo tamen carebat eleemosyna. Id enim mandabat Regina suis eleemosynariis, ut omnibus pauperibus eleemosynas sine diminutione darent.

[52] [in distribuendis eleemosynis,] Plurimi quoque, tum viri, tum feminæ, quibus eleemosyna opus non erat, sedebant ibi cum pauperibus ad recipiendum eleemosynam de manu Reginæ, propter opinionem sanctitatis ejus. Plurimis pauperibus, quos videbat venientes per iter, ejus jussu vestimenta dabantur in domo sua. Visitabat crebro infirmos, imponens super eos manus suas absque ullo horroris sensu, jubebatque eis

dari medicamina apta contra dolores, aut morbos, quibus laborabant. In qualibet Quadragesima faciebat miras eleemosynas pauperibus utriusque sexus, qui erant verecundiores. In die Cœnæ Domini lavabat pedes mulieribus pauperculis, licet haberent pedes, contagiosis infirmitatibus infectos, quos & deosculabatur; eisque vestes dabat, & calceamenta amore Dei.

[53] [in hebdoniada sancta;] Similiter in eo die faciebat cantari sibi Missam juxta ritum Ecclesiæ a presbytero paupere: & pauperibus infirmis, in majori miseria constitutis, dabat vestimenta: & feria sexta Parasceves sequenti induebat se vestibus lugubribus secundum qualitatem suæ personæ: & audiebat horas canonicas, Passionem, & Mandatum; sentiens & ostendens magnum mœrorem & dolorem; recordata mortis & passionis Domini nostri Jesu Christi, quam pro nobis peccatoribus passus est; mandando in tali die distribui multas eleemosynas.

[54] [in usu Sacramentorum 3] Eadem Regina prædicta multoties confitebatur confessoribus suis, & numquam prætermittebat, quominus in festivitatibus Nativitatis, Paschatis, & Pentecostes reciperet sanctum Eucharistiæ Sacramentum magna cum humilitate & reverentia. In singulis annis dabat certos modios tritici e suis horreis, monasteriis fratrum Prædicatorum, existentibus in regno Portugalliæ, & fratrum Minorum, Carmelitarum, aliorumque, prout videbat opus esse & secundum locorum qualitatem.

[55] [in alendis Religiosis,] Has similiter eleemosynas faciebat monialibus aliquorum Ordinum, quibus intelligebat esse necessarias. Quando per villas & alia loca transibat, eorum monasteriis largiebatur eleemosynas suas, prout conveniens erat, & eis dabat prandia sua. Plurimis monachis & monialibus monasteriorum extra regnum Portugalliæ, qui ad eam

veniebant eleemosynæ causa, similiter illas dabat. Plurimi quoque erant religiosi & religiosæ, intra & extra regnum Portugalliæ degentes, quibus in singulis annis Regina dabat eleemosynas ad se vestiendum.

[56] Neque solum sua bona distribuebat inter pauperes verum etiam liberaliter inter alios, [in succurrendo verecundis familiis] tam viros quam feminas, dicens, quod multi, qui non videbantur indigere, pauperibus ipsis indigentiores essent, iisque debere ad majus Dei obsequium liberalius dari: illi vero tales, fatebantur, res suas per hujusmodi dona Reginæ in meliorem statum conversas & multiplicatas fuisse. Cum per aliqua loca regni Portugalliæ transiret intelligeretque, ibi feminas esse honestæ familiæ, & adolescentulas adeo pauperes, ut non haberent, unde sibi vestimenta compararent, timendumque esse, ne sua corpora exponerent peccato; [& puellis periclitantibus ob inopiam,] mandabat Regina emi pannos vestesque confici; tum advocabat fidam aliquam feminam illius loci, dabatque ei in mandatis, ut dicta vestimenta inter tales puellas & mulieres, quibus maxime necessaria esse judicaret, dispertiretur. Et hæc omnia occulte faciebat Regina, prout aliqui de domo ejus & secretorum conscii, testantur. Aliis item periclitantibus puellis distribuebat dotes ad ineundum matrimonium, [& publicis ædificiis.] ne ob rerum penuriam corporibus suis male uterentur. Quando denique Regina per iter conspicaretur, alicubi ædificari opera publica, puta, ecclesias, hospitalia, pontes aut fontes; donabat e thesauris suis, quo dicta opera promoverentur, ipsaque partem haberet in omnibus, quæ recte fiunt.

## CAPUT VII.
## Varia pia loca, ab aliis fundari & ædificari cæpta, a se suscipit perficienda.

Quædam pia femina, nuncupata Biringueira Ayras, fundavit quoddam ordinis Cisterciensis monialium monasterium, juxta oppidum Scalabitanum, [Monasterium, ab alio ædificari cœptum,] quod ibi vocatur Almoster: & antequam monasterium illud absolveretur, ex hac vita migravit. Prius tamen quam moreretur, probe sciens, quam prona esset hæc Regina ad multiplicandum opera sua pia in servitium Dei; quodque volentes istiusmodi opera facere, adjuvaret, concepit spem fore, ut dicta Regina opus, a se fundatum & ædificari cœptum, aliquando perficeret, atque e suis possessionibus adjiceret, quo possent moniales, ibi jam collectæ, honestius sustentari & numero crescere. [Regina perficit,] Regina vero votis ejus respondit. Nam post obitum dictæ bonæ mulieris, fundatricis dicti monasterii, suscepit in se totum monasterium: & de suis bonis fabricavit claustrum & domum infirmorum & alias domos & opera: [recipitque sub sita tutela.] illisque monialibus multas eleemosynas elargiebatur, illasque visitabat, & de omnibus necessariis providebat, prout opus erat: & rogata, ut vellet dictum monasterium recipere sub sua protectione, recepit.

[58] [Aliud similiter,] Simili quoque modo quædam pia femina, nuncupata Major Dias, fundavit quoddam monasterium monialium Ordinis sanctæ Claræ, in quo jam erecta erant domus & monasterium. Factum est autem, ut moreretur hæc pia mulier, & Prior monasterii sanctæ Crucis, qui tunc temporis erat, civitatis Conimbricensis, allegabat, quod præfata Major Dias erat professa sui monasterii: & quod locus dicti monasterii sanctæ Claræ, [quod per lites disturbatum fuerat,] spectabat ad monasterium, ubi professionem fecerat. Atque adeo litigatum fuit coram judicibus, & coram Papa, ut parvus numerus monialium, quæ in dicto loco residebant, ab eo ejectæ fuerint: & fuerunt evacuatæ domus cum suo territorio a Priore monasterii sanctæ

Crucis, & in posterum remanserunt dictæ domus depopulatæ, & dictus locus, in quo fuerat inceptum monasterium in servitium Dei, remansit receptaculum peccatorum, & peccatricum, omni prorsus verecundia carentium.

[59] [ipsa suscipit denuo ædificandum,] Cum Regina videret dictum locum ad talem reductum esse statum: dolens de eo; determinavit fundare circa illum & erigere ecclesiam & monasterium Ordinis sanctæ Claræ, ut ibi serviretur Deo. Recuperavit igitur dictum locum ab iis, qui possidebant: emitque possessiones sitas prope eum: ac de licentia & mandato speciali suæ Sanctitatis fecit illic fundari ecclesiam in honorem Dei & Virginis gloriosissimæ Matris ejus. In illo fundamento jaciendo & ædificatione interfuerunt plurimi Prælati & plurimæ aliæ personæ ecclesiasticæ & seculares.

[60] Regina autem suis propriis manibus, insimul cum Episcopis, [ejusque primum jacit lapidem] jecit lapides primarios fundamenti monasterii, quod erigebat in habitationem monialium integræ vitæ, & bene versatarum in Ordine sanctæ Claræ, & aliarum, quæ pro tempore moniales, idem monasterium ingrederentur, sequentes vitam priorum monialium, non mediocriter prudentium. Has ut obtineret, misit Regina, qui accerserent ex civitate Zamorensi undecim moniales ejusdem Ordinis, quarum monialium vitæ modus præcellebat in tota Hispania; nec reperiebantur aliæ, quæ ita observarent regulam suorum Ordinum.

[61] [& accersit aliunde moniales Ordinis S. Claræ,] Istæ autem moniales fuerunt ex dicto suo monasterio transmissæ de licentia suorum superiorum; cum quibus venerunt etiam fratres Minores, usque ad civitatem Conimbricensem, & illis se associavit Pater, tunc temporis minister, in provincia sancti Jacobi. Porro quando Reginæ

fuit nuntiatum, quod moniales veniebant, personaliter ipsa & ejus filius infans, quasi una leuca exierunt ad recipiendum hujusmodi pauperes moniales, illasque honorandum. Tanta enim erat Reginæ humilitas, ut semper illas comitata sit, quousque pervenerunt ad illum locum, in quo inceperat dictum monasterium ædificare.

[62] [quas eo ipsa inducit.] Quando autem moniales ingressæ fuerunt primas monasterii domus, jam ædificatas; eo usque Regina illas concomitata fuit, & mandavit fabricari domus ad ecclesiam, & earum jaci fundamenta, prout videbat opus esse. Postmodum autem receptæ ibi fuerunt plurimæ filiæ nobilium equitum: eoque adduxit honestos viros, qui capellanorum officio fungerentur. Cœpit quoque Regina emere plurimas possessiones, illasque applicare sustentationi dictarum monialium: ex quibus sibi pro suo exercitio spirituali accepit duas, ætate provectiores, quæ non promiserant clausuram.

[63] In tempore hujus Reginæ fuit Episcopus Egitaniensis, [Suscipit item curam pædotrophii,] Don Martinus nuncupatus, qui incepit fundare hospitale Innocentium in oppido Santaren, ubi educarentur pueri expositi: cumque Episcopus prædictus videret, quod tempus vitæ suæ proxime exspirabat, supplicavit huic Reginæ, ut vellet suscipere in se protectionem dicti hospitalis, utque hoc faceret amore Dei, ne perirent opera, quæ jam in eo fecerat, aut in profanos usus converterentur, Regina supplicationi Episcopi annuit, se habituram loci curam ad servitium Dei.

[64] Postquam vero Episcopus ex hac vita migravit, [quod episcopus Egitanus cœperat construere;] suscepit protectionem dicti hospitalis & bonorum ejus, mandavitque illa recte administrari. Quamvis autem Episcopus constituisset, ut certæ feminæ maritarentur de

dicto hospitali; Regina post obitum Episcopi jussit omnes in dicto loco positos, alio migrare. Amplificavit ejus possessiones & redditus & domicilia: [illudque ditat] mandavitque ibidem educari pueros, & sustentari certos pauperes, quibus dabantur alimenta & vestimenta. Quando autem Regina ad dictum locum accedebat, curabat ad se adduci pueros, puellas & expositos, qui ibi nutriebantur; uti & nutrices illorum; jubebatque omnes accumbere mensæ, ministrabatque eis cibum & potum.

[65] Postquam vero pueri jam habebant ætatem sufficientem, [ac bonis legibus stabilit.] applicabantur exercitio quarumdam artium; quas ubi sufficienter didicerant ad lucrandum victum, non providebatur iis amplius de rebus dicti hospitalis: mandabat tamen Regina, quod, si forte aliqui ex illis, doloribus aut infirmitate gravarentur, nec haberent unde sustentarentur; hospitale illorum curam haberet & infirmos reciperet dictum hospitale, in quo fuerant educati, illisque provideret, prout necessitas urgeret. Dicebat enim Regina, quod mandabat ita dictorum puerorum curam haberi, quia patres eorum erant incogniti, & parentibus ac matribus carebant; & ideo rationi consentaneum esse, quod locus, in quo fuerant educati, eis succurreret in suis necessitatibus; siquidem dictus locus eis datus fuerat loco matris.

## ANNOTATA.

Sat procul accersitæ fuerunt moniales illæ, e regno Legionensi Hispaniæ, extra Lusitaniam sito, ubi est Zamora non ignobilis civitas & episcopalis fere ab initio seculi 12.

Egitaniensis sive Igæditaniensis episcopatus, in libris Conciliorum notus est. Dissentiunt scriptores, cui Metropolitanæ suffraganeus sit. Labbeus ipsum subjicit

Ulissiponensi; fatetur tamen, a Mirœo subjici Bracarensi. Alii subjiciunt Emeritensi. Omnes recte. Nam aliis atque aliis temporibus, aliis atque aliis Metropolitis suffragatus fuit. Videndum illa de re Concilium Lucense apud Labbeum; & in illud notationes Garsiæ Loaysa. Ibi invenies divisiones varias episcopatuum Hispaniæ; videbisque, Æra 607, id est anno Christi 569, sub Theodomiro Principe Suevorum, Egitaniensem episcopatum subfuisse Bracarensi: sub Rege vero Gothorum Wamba; qui Æra 704, anno Christi 666 regnare cœpit, subjectum fuisse Emeritensi (nam & hæc civitas olim metropolitana dignitate præcelluit) cui tunc etiam suffragabantur plerique Episcopi hodiernæ Lusitaniæ, ipsaque Ulissipo & Igæditania: cujus ultimæ civitatis sedes episcopalis deinde translata est ab Innocentio PP. III Guardiam, non admodum longe dissitam: retinuitque diu antiquum nomen Igæditaniensis. Postquam vero Ulissipo a Bonifacio PP. IX, anno 1390 elevata fuit ad dignitatem metropolitanam, ei jussæ sunt suffragari plures aliæ civitates, inter quas etiam est Igæditaniensis sive Guardiensis. De hoc episcopatu ita notat Garsias prædictus: Egitania, vel rectius, uti antiqua monumenta habent, Igæditania, & Igæditani, ut in veteri pontis Alcantaræ inscriptione est; nunc vicus obscurus, Eidania dictus, episcopalis sedes in Guardiam translata est.

## CAPUT VIII.
## Alia pia opera.
## Mors mariti.
## Peregrinatio
## ad S. Jacobi, & liberalitas ibi exhibita.

[Alia Reginæ opera pia.] Ubicumque Regina videbat aliquam mulierem, filiam viri nobilis, seu aliam, quæ paupertate premebatur; antea vero dives fuerat; tacite curabat illis provideri de suis bonis ad illas sustentandum. In domo quoque Reginæ nutriebantur filiæ plurimorum

virorum nobilium equitum, & aliorum honesti status virorum: & postquam ad ætatem nubilem perveniebant, & inveniebant maritos sibi æquales, illas maritabat; & aliis providebat de modo & vitæ statu, prout a Deo inspirabantur; & illis de suis bonis faciebant donationes juxta uniuscujusque qualitatem, & secundum statum, quem eligebant: & quamplurimis aliis, quæ extra domum suam educabantur, quæ non habebant dotes, illis dabat adjutorium ad se maritandum, & ad alias necessitates, quibus laborabant; dicendo, quod aliquibus, qui videbantur habere necessaria, opus tamen erat adjutorio ad se sustentandum; magis quam aliis, qui prima facie videbantur pauperes & deserti. Sic etiam per loca, quæ Regina peragrabat, nullus aut pauper, aut infirmus, aut incarceratus erat, qui non esset particeps caritatis & eleemosynarum Reginæ.

[67] [Moritur Rex.] In omnibus suis factis semper ante oculos habebat servitium Dei; expendens, dum erat conjugata, plurimum temporis audiendo officia ecclesiastica, orando & contemplando. Cum vero tempus advenit, quo Rex Don Dionysius incidit in morbum gravem, quo diutius laboravit; Regina ei inserviebat, quatenus poterat, & Rex permittebat, quod in ejus servitio occuparetur: & illi inserviebat tamquam ancilla domestica & simplex femina, habens curam sui mariti. Ex illo morbo, Deo permittente, Rex ex hac vita migravit in arce oppidi de Santaren, sub die Januarii octava anni millesimi trecentesimi sexagesimi tertii.

[68] Statim vero in illa hora, qua Rex obiit, Regina separavit suum cubiculum, [Mox induit Regina habitum S. Claræ,] & induit habitum sanctæ Claræ de manu cujusdam mulieris secularis; & iter fecit cum corpore Regis ad monasterium de Odivellas Ordinis Cisterciensis monialium, quod Rex fundaverat, ibique paratam habebat suam sepulturam: & Regina remansit testamentaria Regis

sui mariti; ibique per tempus demorata est, & pro anima Regis fecit celebrari plurimas Missas a religiosis & clericis, & plurimas elargiebatur eleemosynas.

[69] Antequam autem annus ex die obitus Regis compleretur, [& peregrinatur ad S. Jacobum compostellæ,] incepit Regina iter facere, absque eo quod alicui significaret, quo ibat; dirigendo viam ad visitandum ecclesiam, ubi jacet corpus S. Jacobi Apostoli; atque ita occultavit dictam peregrinationem, ut per aliquot dies concomitantes Reginam, ignorarent ad quam partem ire prætenderet; quousque pervenit ad locum, distantem una leuca ab ecclesia S. Jacobi; unde ipsa ecclesia ejus conspiciebatur. Tum vero pedibus suis iter fecit cum magna devotione, ex dicto loco usque ad ecclesiam prædictam S. Jacobi, currente jam mense Julio ante festum S. Jacobi, & ibi vidit celebrari festum ejus.

[70] In ipso autem die festo, celebrante Missam Archiepiscopo, [offertque ibi pretiosissima dona,] Regina obtulit Apostolo pretiosiorem coronam, quam habebat, adornatam pretiosissimis gemmis; necnon divites pannos fabrefactos, plurimisque unionibus & gemmis admodum pretiosis distinctos, quos ipsa, vivente suo marito, indui solebat; inter quæ munera obtulit etiam vestem unam eximii decoris & pretii, totam unionibus exquisitis coopertam; adeo ut incolæ istius loci palam dicerent, numquam ad illud usque tempus aut Reginam, aut aliam principem feminam pretiosiora dona obtulisse.

[71] Obtulit præterea mulam cum fræno, ex auro & argento, [etiam mulam cum freno aureo,] pretiosissimisque gemmis coruscante: similiter obtulit pannos intertextos filis aureis instar undularum magno labore, in quibus fabricata erant insignia Portugalliæ & Aragoniæ, & eis inhærebat magna copia unionum. Obtulit quoque vasa nobilissima & optime laborata, in quibus

Regina, vivente Rege, [& vestes sacerdotales.] bibebat. Similiter obtulit vestimenta & togas cum dalmatica ad usum Diaconi, ceterisque sacris paramentis nobilissimis & admodum divitibus. Quæ omnia obtulit Regina Apostolo S. Jacobo; & de suis bonis fecit plurimas alias oblationes & eleemosynas, ita ut Clerici & Canonici ecclesiæ S. Jacobi dicerent, quod eatenus ab hominum memoria numquam similes oblationes & munera oblata fuissent ab aliquo, dictæ ecclesiæ S. Jacobi.

[72] Completa ejus peregrinatione, Archiepiscopus S. Jacobi dedit Reginæ baculum; [Redetus ejus honoratur a populis,] & sportellum; ut per illa appareret esse peregrina S. Jacobi; & sic reversa fuit ad regnum Portugalliæ. Populi autem vicinarum regionum exibant sponte sua, concurrebantque ad vias & villas, qua Reginæ transeundum erat, ut illam viderent, propter famam virtutum, quam de illa audiebant publicari; utque Reginæ inservirent. In illo tempore erat jam Rex Castellæ & Legionis Alfonsus ejus nepos, filius Regis Ferdinandi & Reginæ Constantiæ, filiæ hujus Reginæ: & habitatores villarum & locorum dominii Regis Castellæ, recipiebant in circuitu Reginam, [per quos transibat.] concomitantes illam: & licet ipsa magnum comitatum personarum secum duceret, non timebant tamen omnes recipere, propter bonitatem Reginæ, & quia erat avia Regis; eorum Domini.

[73] [Celebrat magnifice anniversarium primum mariti sui.] Evoluto anno primo ab obitu Regis Dionysii, ipso die anniversario contulit se Regina ad monasterium de Odivella, ad faciendum anniversarium pro anima ejus. Eodem similiter venit Rex Alfonsus ejus filius, cum plurimis Prælatis virisque primariis, quibus Rex Dionysius multa beneficia contulerat: ibique congregatis plurimis clericis & religiosis fuit factum officium cum magna solennitate, prout tanto Regi conveniebat: eoque finito, Regina

reversa est ad civitatem Conimbricensem, impositura coronidem monasterio, quod ibi inceperat ædificare.

[74] [Vestes suas pretiosas & aurum] Mandavit quoque dissolvi omnes vestes & pannos sericos, quos habebat, auro intertextos, divites & nobilissimos, ad suum usum, dum maritus vivebat; constituitque ut ex illis fierent vestimenta & ornamenta ad servitium ecclesiarum. Postquam vero confecta fuerunt dicta vestimenta, fecit ea benedici; & postquam fuerunt benedicta, distribuit ea omnia inter ecclesias Portugalliæ, dando cuilibet ecclesiæ juxta qualitatem loci & indigentiam.

[75] [convertit in ornamenta ecclesiastica.] Auri quoque sui majorem partem mandavit cudi in calices, cruces, thuribula & lampades. Hæc autem ornamenta partim dedit dicto suo monasterio; partim distribuit aliis ecclesiis, prout judicabat oportere secundum qualitatem locorum, ut supra dixi. Denique coronas aliquot ac monilia sua pretiosiora divisit inter Reginam Beatricem, uxorem Regis, filii sui Alfonsi, & neptes suas, Reginam Mariam Castellæ & Reginam Eleonoram Aragoniæ; & alias suas consanguineas.

## ANNOTATA.

Qui annus Æræ Hispanicæ sive Cæsareæ, fuit Christi 1325.

Monasterium de Odevilla situm est in territorio Ulissiponensi, circiter VI mille passus ab urbe, fundatum monialibus Cisterciensibus ab ipso Rege Dionysio.

Natus fuit mundo Alfonsus iste, nominis sui XI Rex Castellæ, Elisabethæ nostræ ex filia Constantia nepos; natus, inquam, fuit anno circiter uno ante obitum patris Ferdinandi, anno Christi 1312 demortui: potuitque adeo

anno 1326, quo Elisabetha peregrinationem Compestellanam, infra annum primum ab obitu mariti sui Dionysii, instituit; per se regnum administrare; duxitque anno 1328 matruelem suam Mariam uxorem; prædictæ aviæ suæ Elisabethæ similiter neptem, & filio Alfonso IV Lusitanorum Rege genitam: atque adeo ob consanguinitatem in secundo gradu opus fuit dispensatione Pontificis Romani, uti postea dicetur.

Quæ utique est neptis Elisabethæ ex Alfonso filio, Lusitanorum Rege. Qua de re plura notavimus paulo ante litt. c.

Hæc vero Eleonora, fuerit neptis ejusdem Elisabethæ ex filia Constantia & genero Ferdinando; Castellanorum Rege; nec non soror Alfonsi XI, de qua Jo. Mariana in Historia rerum Hispaninicarum lib. 15 pag. 742 scribit, quod Alfonso IV Regi Aragoniæ, ex priori matrimonio cœlibi, Eleonora, Regis Castellæ, Alfonsi XI soror oblata sit & acceptata.

## CAPUT IX.
## Alia fundat pia loca, etiam ptochotrophia; colligit pias feminas cum iisque officia divina familiariter obit.

Vocavit itaque Regina lapicidas & fabros lignarios, mandavitque ab illis perfici in dicto monasterio S. Claræ ecclesiam, [Varia jubet confici nova opera] jam strui cœptam. Mandavit quoque, arcam sibi sepulcralem parari; item, construi sibi juxta monasterium quasdam domos nobilissimas, ad suam & suorum habitationem; quo frequentius adire monasterium & invisere moniales posset & inspicere opera, quæ suo jussu fiebant; qualiter fabricarentur, & num omnia secundum ideam ac designationem suam recte mandarentur executioni. [juxta suam designationem.] Erat quippe Regina tam intelligens

architecturæ, ut fabri ejus ingenium admirarentur, corrigerentque ipsius suggestione, quæ minus recte operati erant. Similem quoque peritiam suam monstravit alias, vivente adhuc Rege, in ordinandis ædificiis, tum quæ ipsi Regi ipsiusque familiæ parabantur, tum quæ ipsa Regina sibi curabat construi in oppidis, quæ possidebat.

[77] Inter hæc nolebat Regina discedere Conimbrica ad alia loca, [Colligit pias feminas, & neptem suam collocat in monasterio,] ut coram videret ædificia sua ad finem perduci, eaque amplificaret ac ditaret ex bonis suis in gratiam monasterii. Colligebat quoque in dicto loco feminas, quæ propria sua voluntate desiderabant servire Deo & monasterium ingredi: ipsaque Regina elegit eo in loco habitationem suam. Habebat autem ibi quamdam sobrinam suam, quæ volebat matrimonium inire, eratque prædives. At postmodum, mutato proposito, dixit, quod cum aliis suis virginibus opulentis pariter & nobilibus, volebat monasterium ingredi.

[78] Regina, eo intellecto, secum semper illas habuit & adduxit ad dictum monasterium, [a se recenter ædificato.] experturas, utrum novum propositum, quod dixerant se habere, exequi re ipsa possent. Ipsæ autem in nullo mutantes suum propositum, ingressæ fuerunt, moniales futuræ, dictum monasterium in die Dominica Palmarum, præsentibus Alfonso Rege, filio Elisabethæ nostræ, & uxore ejus Regina Beatrice; a quibus multum honoris recipiebat præfata Elisabethæ sobrina, quæ fuerat in suo palatio educata. Eadem deinde fuit secunda Abbatissa dicti monasterii; vocabaturque Elisabetha de Cardona, quia erat filia Raimundi de Cardona & Beatricis, sororis hujus Reginæ; quam Beatricem Rex Aragoniæ Petrus, pater Reginæ Elisabethæ, habuit ex quadam Infantissa Aragoniæ.

[79] Porro ante vestibulum domorum, quas construi mandaverat Regina ad suam & suorum famulorum habitationem, curavit etiam fabricari capellam cum suo cœmeterio; [Fundat ptochotrophium utrique sexus seorsim] & domos hospitales, in quibus posuit quindecim viros pauperes & quindecim mulieres etiam pauperes; utrumque sexum separatis in ædibus, & in medio constituit capellam. His autem pauperibus dabatur suum cuique demensum panis & vini & carnis, aut piscium, juxta qualitatem dierum: ministrabanturque illis lecti ad dormiendum, & vestimenta singulis annis: ea lege, ut quotidie dictam capellam frequentarent, sacrificioque Missæ ac Horis canonicis, quæ illic a constituto ad hoc capellano quodam & adjuncto ei ministro, ibidem habitantibus, peragebantur, interessent. Curavit quoque Regina, dictam capellam cum suo cœmeterio consecrari: ipsaque multoties eo accedebat ad visitandum infirmos, in hospitali prædicto decumbentes, & præsentabat ipsa personaliter dictis infirmis cibum, quem manducare debebant.

[80] [Monumentum sibi sepulcrale posuit] Absoluta jam ecclesia monasterii cum testudine sua, jussit Regina, monumentum suum sepulcrale, quod tum etiam confectum erat, collocari in medio novæ ecclesiæ. Quia vero monumentum illud permagnum erat, & cancellis circum vallatum; [atque ob inundationem aquarum] occupabatur illis potior ecclesiæ pars: & quia illo tempore, quo dictum monumentum in ecclesia positum erat, tanta supervenit inundatio aquarum in civitate Conimbricensi die Februarii decima octava, Æra millesima tercentesima sexagesima nona, orta ex effusione fluminis Mondæ, quod civitatem prædictam circumfluit; ut prædictam ecclesiam non solum impleverit, sed altitudinem quoque monumenti sepulcralis excesserit: quale prodigium ab hominum memoria factum non fuerat.

**[81] [alio transfert.] His de causis Regina, considerans, quousque ascenderant aquæ, & quomodo ecclesia grandi mole sepulcri sui impediretur; constituit illud alio transferre. Quapropter jussit statim in eadem ecclesia, quæ erat alta, construi capellam, super arcas elevatam, in medio ecclesiæ, adinstar chori, ubi feminæ residerent; relinquens spatium amplum inter chorum & capellam; & ibi jussit poni suum sepulcrale monumentum, quod erat in inferiori ecclesia; uti & monumentum Infantissæ Elisabethæ, sobrinæ suæ, quam ipsa educaverat in domo sua. Jussit ibidem collocari altare, imagines & sedilia pro clericis aliisque, qui eo venirent, officia divina celebraturi, aut illis adstituri. Atque ita exundatio aquarum prædicta, fuit causa, quod nunc ibi duæ sint ecclesiæ & duo chori. Existimatum autem fuit, quod Deus ideo tam altam atque insolitam innundationem permiserit, ut nova isthæc opera conficerentur. Episcopus porro Conimbricensis Raimundus consecravit dictam ecclesiam & capellam atque altaria, in illis posita, cum cœmeterio, quod prope abest.**

**[82] [Deliberat de statu vitæ.] Postquam hæc quoque absoluta fuit ecclesia, adjecit animum ad alia; ac in primis fecit concamerari claustrum; tum magnifica elevari ædificia ad usum triclinii, dormitorii, valetudinarii & culinæ; tum officinas loco tali necessarias; denique totum monasterium altis circum vallari muris. Hisce similiter perfectis operibus, Regina, solicita de salute animæ suæ, consuluit viros aliquot doctos ac pios, utrum sibi liceret (quod ardenter cupiebat) ingredi dictum suum monasterium, [an non expediat in monasterio includi,] in eoque includi, uti reliquæ moniales, suaque bona temporalia relinquere omnia. Responderunt Reginæ, quod, si monasterium ingrederetur & includeretur modo prædicto, non tantum meriti consequeretur; quantum consequebatur per opera caritatis, sustentando plurimas utriusque sexus personas extra domum suam, [quod**

dissuadetur.] suis eleemosynis; quæ prorsus derelictæ manerent, atque ad extremam paupertatem redigerentur, si ipsa talem statum eligebat, in quo illarum miseriis subvenire non posset, si bona temporalia, quæ habebat, dimitteret. His auditis consiliis, Regina infinitas Deo gratias agebat pro universis beneficiis; quæ sibi in hoc mundo contulerat, quodque dignatus fuerat perducere ad finem opera, quæ ipsa construere cœperat in vita sua, ad ejus laudem & honorem.

[83] Postquam triclinium omni ex parte præparatum erat, [Monialibus in triclinio inservit,] ut in eo possent manducare moniales; die prima, qua determinarunt in eo manducare, venerunt Reginæ, Elisabetha & Beatrix, uxor Regis Alfonsi; filii Elisabethæ, ad manducandum in dicto novo triclinio: obtenta ad hoc facultate a summo Pontifice, ut sibi liceret cum monialibus dicti monasterii sanctæ Claræ, triclinium ingredi & accumbere. Præfatæ autem Reginæ, postquam moniales accubuerant mensæ in dicto refectorio; ibant & redibant ad culinam, quærentes & portantes cibos, eosque monialibus apponebant. Illud vero servitii faciebant dictæ Dominæ Reginæ magna cum humilitate; cogitantes, quod in eo servitium Deo præstarent, dum servirent monialibus, quæ Dei amore mundum reliquerant, elegerantque vitam ibi agere monachalem sub clausura dicti monasterii. Et jam monialium numerus pervenerat ad quinquaginta, eoque amplius.

[84] Regina porro Elisabetha ingrediebatur monasterium, [cum iisque frequens versatur.] interque moniales versabatur, quando volebat, cum plena facultate, per Breve Apostolicum sibi data. Eaque de re curavit juxta portam monasterii sibi ædificari habitaculum, ad quod ex domibus suis regalibus veniebat, ibidemque per aliquot sæpe dies pro libitu suo demorabatur, recitabatque Horas canonicas cum dictis monialibus; solita dicere, se,

quamdiu inter illas versaretur, magno animi gaudio delibari. Animabat quoque ipsa moniales, & hortabatur ad perseverantiam in servitio Dei, cujus sponsæ erant: & alia ejusmodi colloquia, pietate plena cum illis miscebat. Erat enim potens verbo.

## ANNOTATA.

Hæc paulo post vocatur Elisabetha; hic vero dicitur fuisse sobrina Elisabethæ nostræ, eo quod mater ejus Beatrix, Raimundo de Cardona nuptui data, fuit filia, sed illegitima, Petri III Aragoniæ Regis, & eatenus soror Elisabethæ nostræ: utinum. seq. satis clare indicatur.

## CAPUT X.
## Exercitia quotidiana in viduitate. Nobilitas sanguinis & propinquitas cum omnibus fere Regibus Christianis.

[Exercitia pietatis in viduitate,] Postquam hæc Regina pervenerat ad statum viduitatis, expendebat tempus suum in hunc modum. Habebat secum quinque moniales Ordinis S. Claræ, quæ probe norant legere & cantare officia divina: quibuscum ipsa surgebat e lecto ante ortum solis; recitabantque simul omnes matutinum officium cum omni devotione, observando in eo consuetudinem sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ: post Matutinum recitabant Primam; post Primam, lucente jam sole, præparabant altare, quod semper secum Regina habebat, habebatque in conclavi aliquo oratorium, ibique audiebat Missam privatam summa cum pietate: qua finita conferebat se ad suum palatium, ubi habebat capellam, inveniebatque ibi paratos capellanos & clericos suos ad celebrandum Missam & officia divina: ad quam similiter capellam veniebant Virgines moniales & aliæ feminæ, quæ in domo Reginæ habitabant.

[86] [cum domesticis obiri ante prandium solita:] Congregatis omnibus, clerici ac capellani statim incipiebant divina officia celebrare, & cantabant passim Missam de Requiem pro anima Regis Dionysii, & finita dicta Missa, quæ dicebatur pro anima Regis, clerici omnes cantabant unum Responsorium pro anima ejusdem Regis, & omnes, qui divinis officiis aderant, orabant similiter pro anima ejusdem: post dictum vero Responsorium, Clerici incipiebant aliam Missam juxta qualitatem diei currentis; quibus Missis ita dictis & aliis Horis, quæ tali die celebrabantur & recitabantur a dictis clericis; incipiebat Regina cum suo gynæceo recitare Horas ejusdem diei, tertiam, sextam & nonam: quod si dies festus esset alicujus Sancti, antequam recitaret dictas Horas minores, audiebat prædicationem; & quando Missæ & Horæ canonicæ erant finitæ, jam tempus prandii instabat, ad quod se Regina conferebat.

[87] [alia post prandium.] Post prandium jubebat comparere coram se ministros, operibus, quæ facienda curabat, præfectos: cum iisque conferens, interrogabat de statu operum; & recipiebat libellos supplices, qui sibi offerebantur, & potissimum audiebat preces personarum religiosarum, ac etiam secularium tam divitum, quam pauperum, quæ ipsam postulabant aliquam gratiam & favorem: quibus & Regina, secundum qualitatem & necessitatem supplicantium mandabat eleemosynas dari ex bonis suis & grana ex suis horreis, & in his considerabat recte & studiose qualitatem uniuscujusque personæ, cui eleemosynas & donationes faciebat. Similiter considerabat qualitates locorum religiosorum & secundum numerum inhabitantium, præstabat singulis caritatem & eleemosynas.

[88] [Opera caritatis singularia,] Tria singulariter in hac Regina emicabant opera caritatis. Succurrebat enim pauperibus & egenis per eleemosynas quotidianas: si quis

ipsam offenderat, nullum commoti animi signum edebat, nec satisfactionem expetebat, sed veniam facillime dabat. Imo numquam ab aliquo visa fuit, irata esse. Caritatem quoque præstabat in eo, quod curaret peccatores ad pœnitentiam adduci; illas præsertim feminas, prostibula publica, quibus vestes & alimenta suppeditabat, ut a peccato abstinerent, inducerenturque ad meliorem frugem, atque ad hospitale, quod in talium usum jam exstruxerat in civitate Conimbricensi; nisi forte mallent publicæ peccatrices illæ, priusquam in dictum hospitale inducerentur, habitare in oppido, nuncupato Tornes novas, ut se ibi abstinerent a suis peccatis publicis; ubi etiam illis dabat vestes & necessariam sustentationem, ne postmodum ad peccata sua redirent.

[89] Septem quoque misericordiæ opera exercebat. Nam nudos operiebat; [& misericordiæ.] esurientes ac sitientes saturabat; infirmos visitabat, & visitari faciebat; mortuos sepeliri mandabat, & ad sepulturam necessaria ministrabat; pro miseris & oppressis debita, ad quæ tenebantur, solvebat; & corrigebat errantes, hortabaturque ad perseverandum in via Domini; hospitalia sustentabat; redimebat captivos de suis pecuniis, & aliis adjutorium ad se redimendos dabat.

[90] Ad horam diei consuetam se recipiebat in conclave suum, [Exercitia vespertina] & cum gynæceo recitabat Nonam; & statim dicta Nona, veniebant capellani & clerici suæ capellæ, & recitabant coram ea Vesperas, quæ secundum dierum festivitates cantabantur: & postquam audierat Vesperas illas, iterum eas recitabat ipsa cum suis monialibus. Adeo autem erat perita & versata in recitatione hujusmodi officiorum divinorum, ut, si ejus capellani in præsentia ejus alicubi errabant, aut non recte legebant, aut in modo cantus non bene continuabant; Regina illos corrigebat; & optime sciebat legere latina & vulgaria verba.

**[91] Dictis & auditis Vesperis, si erat dies, in qua non debebat jejunare, [& nocturna.] cœna præparabatur (pro majori namque parte dierum hebdomadæ jejunabat) & subito post cœnam recitabat Completas & officium Defunctorum & remanebat in cubiculo suo, & moniales recipiebant se in sua. Regina porro (prout testificabantur famulæ, quæ ipsam in cubiculum sequebantur) majorem noctis partem expendebat in contemplationibus & orationibus; multoties e lecto surgens ad obeunda exercitia spiritualia. Constituit quoque in duobus suis oppidis singula sacella perpetua, nimirum in Leria & Obidos; ibique reliquit capellanis bona ad eorum sustentationem: & quamdiu vixit, sustentavit in oppido Leriensi unum hospitale mulierum paupercularum & verecundarum, quæ alias divites fuerant, postmodum vero ad paupertatem redactæ erant; quibus victum & vestitum abunde subministrabat.**

**[92] Tandem his omnibus fundatis atque absolutis operibus, [Gratias Deo agit,] gratias Deo egit recolens beneficia ejus, sibi in hoc mundo, quamdiu vixerat, præstita; seque offerebat paratam exire ex hac vita, quandocumque ei placeret. Inter alia numerabat beneficia, a Deo sibi collata; quod ipsa per se videret progeniem suam, tot Regibus & Reginis illustrem, qualem nullus umquam aut Rex aut Regina vidit, aut ab aliquo visam fuisse, auditu percepit. Viderat enim Regem Jacobum suum avum, a quo fuerat educata, dum ipse esset Rex Aragoniæ: & illo ex hac vita sublato, viderat Regem Petrum, suum patrem Aragoniæ; & Jacobum, suum patruum, Regem Majoricarum, fratrem germanum sui patris; & Dionysium, suum maritum, Regem Portugalliæ; & Sancium, amitinum suum, Regem Castellæ. In beneficiis quoque ponebat, quod, dum esset conjugata cum Rege Dionysio, reversa fuerat ad regnum Aragoniæ, & ad civitatem Turiasonensem, ut dictum est supra ***

[93] [quod viderit longam seriem Regum & Reginarum] Viderat insuper Regem Aragoniæ Jacobum, fratrem suum: & post obitum sui mariti, Regis Dionysii, vidit in ejus locum succedere Regem Portugalliæ, suum filium Alfonsum; & post obitum Regis Sancii Castellæ, vidit Ferdinandum, suum sobrinum & generum, Regem Castellæ: & post obitum Regis Ferdinandi, vidit Alfonsum, suum nepotem, Regem Castellæ & Legionis, qui Alfonsus erat filius Constantiæ, filiæ suæ. Dicebat quoque, quod viderat Reginas, Constantiam suam matrem; Beatricem suam socrum; & Reginam Castellæ Violantam, uxorem Regis Alfonsi Castellæ, filii Regis Ferdinandi, qui recuperavit Hispalim a potestate Maurorum; quæ Regina erat ejus amita, soror patris sui; & vidit Reginam Mariam Castellæ, uxorem Regis Sancii, sui amitini, & Reginam Blancam, Aragoniæ, uxorem Regis Jacobi, sui fratris.

[94] [familiæ suæ.] Vidit quoque Reginam Majoricarum uxorem Regis Jacobi, sui Patrui; & vidit dictam Constantiam, suam filiam, Reginam Castellæ & Legionis; & vidit Reginam Mariam, filiam Regis Alfonsi, filii sui; eamdemque Reginam Castellæ, nuptam ex dispensatione Pontificis, cum Rege Alfonso Castellæ, nepote suo. Vidit Reginam Beatricem Portugalliæ, uxorem Regis Alfonsi sui filii, filiam sui amitini Sancii, Castellæ Regis. Vidit Reginam Eleonoram Aragoniæ, neptem suam, dum adhuc erat Infantissa, antequam matrimonium contraheret cum Rege Aragoniæ Alfonso Plurimi quoque alii, tempore hujus Reginæ, Reges & Reginæ extiterunt, cum quibus habebat rationem parentelæ & sanguinis, quos tamen non vidit, quemadmodum viderat Reges & Reginas, quos jam nominavi, qui per litteras & nuntios ipsam conveniebant, & ipsa vicissim illos.

[95] [Alii Reges ejus fratres aut consanguinei,] Post obitum Regis Petri, patris ejus, fuerunt Reges duo, hujus Reginæ fratres, quos dum essent Reges, non vidit; sed

quando infantes erant, viderat illos in domo patris sui. Fuerunt & Alfonsus Rex in Aragonia, & Fredericus, qui fuit nuncupatus Rex Siciliæ. Fuit autem dictus Rex Aragoniæ Alfonsus, [e stirpe Aragonica,] Reginæ nepos, filius sui fratris, Regis Jacobi: post obitum porro Alfonsi, Rex Aragoniæ successit Petrus, ejus filius, qui regnabat in Aragonia, tempore, quo hæc Regina ex hac vita migravit. Atque ita, vivente Elisabetha, sex extiterunt Reges in Aragonia; [Castellana,] in Castella vero extiterunt quatuor; Alfonsus, qui regnabat, quando hæc Regina venit ad Regnum Portugalliæ; & Sancius, filius istius Alfonsi; Ferdinandus, filius dicti Sancii, qui ex Regina Constantia, filia hujus Reginæ reliquit Regem Alfonsum, qui regnabat, quando Regina hæc, ex hac vita discessit.

[96] In Portugallia porro tres Reges extiterunt, ipsa vivente, [Lusitanica,] Alfonsus, pater Regis Dionysii; Dionysius ipse, maritus hujus Reginæ, & Alfonsus, suus filius, qui regnabat in regno Portugalliæ, quando Regina vitam cum morte commutavit. Denique quo tempore hæc Regina vivebat; nullus erat inter Christianos Rex aut Regina, sanguine regali descendens, qui a conjunctione sanguinis ejus esset alienus. [Francica,] Rex Franciæ Philippus, qui regnabat in Francia, quando Regina in Domino requievit, erat Reginæ consobrinus, [Sicula,] filius sui fratris patruelis. Rex Robertus, erat frater ejus patruelis: Rex Majoricarum, erat consobrinus Reginæ, [Majoricana,] filius sui fratris patruelis: Rex Angliæ, erat similiter hujus Reginæ consobrinus, [Anglica, &c.] & alii quoque Reges Christiani cum Regina habebant sanguinis commixtionem.

## ANNOTATA.

Supra num. 86 dictum est, horam officii divini Nonam fuisse cantatam a Regina ante prandium. Hic vero dicitur

cantari post prandium ante Vesperas. An forte aliis diebus ante; aliis post prandium, cantabatur ibi Nona?

In Lusitanico apographo scribitur; Don Sancho, seu primo com Irmano, Rei de Castella. Interpres Romanus vertit, Sancium, suum fratrem ex sorore, Regem Castellæ. Fuit Sancius ille, nominis sui quartus, Alfonsi X, Regis Castellæ, filius secundo genitus, susceptus ex Jolante seu Violanta, quæ fuit amita Elisabethæ nostræ, uti num. seq. clarius explicatur. Hinc intelligitur, Violantæ prædictæ filium Sancium Regem, fuisse amitinum S. Elisabethæ; si recte velimus loqui.

Sobrinus fuit Elisabethæ, quia nepos amitæ ejus Violantæ, Reginæ Castellæ; nepos vero ejusdem Elisabethæ, quia natus ex filia ejus Constantia, itidem Regina Castellæ, quæ Ferdinando nupserat.

Hæc Beatrix, socrus Elisabethæ, & mater mariti ejus Regis Dionysii, utique fuerit Alfonsi X, Regis Castellæ, filia.

Legebatur hic nomen proprium Margarita in codice nostro Lusitanico Ms., uti & in ejus interpretatione Latina, Romæ facta. Verum debet ibi erratum fuisse. Nam eadem vita Reginæ, Lusitanice impressa a Francisco Brandano, quæ alioquin cum nostra Ms. concordat in omnibus, hic legit Mariam, Alfonsi IV Lusitani filiam, Elisabethæ neptem. Similiter Vasconcellus in Rege Alfonso IV, filiam ejus, Alfonso Castellæ nuptam, æque nominat Mariam: & alii passim: usque adeo, ut nisi binominis fuerit, erratum sit in nostro Ms. & ejus interpretatione latina.

Quæ dispensatio utique necessaria erat in matrimonio, quod contrahebatur inter duos patrueles, nepotem & neptem Elisabethæ, ex filia ejus Constantia & filio Alfonso.

Hæc Regina Eleonora, Alfonso XI, Aragoniæ Regi nupta, æque fuit filia Alfonsi Lusitani IV, Elisabethæ filii; quam fuit supra dicta Maria, Castellæ Regi Alfonso nupta.

Alfonsus iste, quartus sui nominis, Aragoniæ Rex; erat pariter consanguineus Elisabethæ, videlicet nepos ex fratre Jacobo II, Rege ejusdem regni.

Videlicet Alfonsus & Jacobus, quorum ille successit patri in Aragonia; hic vero in Sicilia, & Alfonso fratre post regnum quadriennale mortuo absque prole, accepit regnum Aragoniæ; Frederico fratre, de quo mox, in Sicilia regem agente.

Alfonsus, non ille, de quo jam dixi, fratre Elisabethæ; sed filius fratris ejus Jacobi Regis; uti mox explicatur.

Sex quidem Reges hic indicantur, sed ex illis quinque tantum regnarunt in Aragonia. Eo quippe non spectat Fredericus, Rex Siciliæ dictus. Ut igitur senarius Regum, qui in Aragoniæ dominati fuerunt durante vita Elisabethæ, numerus compleatur; addi debet Jacobus Rex Aragoniæ, primus istius nominis; pater Petri III Regis; avus Alfonsi III, & Jacobi II; proavus Alfonsi IV, abavus Petri IV; serie continuata regum Aragoniæ. Quem Jacobum I etiam viderat Elisabetha, utpote educata in ejus aula.

Est hic Philippus Valesius, qui regnavit ab anno 1328 usque ad 50, natus ex Carolo, comite Valesio, fratre Philippe Pulcri, Regis Franciæ; filio autem Philippi tertii Regis, cognomento Audacis seu Intrepidi, qui duxerat primis nuptiis Isabellam sive Elisabetham, Jacobi primi Aragoniæ Regis filiam, Petri tertii sororem, amitam vero Elisabethæ nostræ. Unde colligitur, sanctam hanc Reginam habuisse amitinum Carolum Valesium jam

dictum; & subamitinum, ejus filium Philippum, ultimis Reginæ nostræ annis regnantem in Francia.

Lusitanice hic legitur, El Rey Ruberte segundo coirmão. Interpres latinus vertit, ut hic legitur, Rex Robertus erat frater ejus patruelis. Puto ego, non alium Robertum Regem intelligi, quam Neapolitanum, qui pridem duxerat uxorem Violantam, Petri tertii Aragoniæ Regis filiam, Elisabethæ nostræ sororem, ut supra dictum fuit. Unde proprie loquendo, sororius Elisabethæ dicendus esset, vixitque adhuc, moriente Elisabetha, usque ad annum 1343.

Moriente Regina nostra anno 1336, fuit Rex Majoricarum Jacobus secundus, filius Ferdinandi Infantis, nepos vero Jacobi primi. Hic autem Jacobus fuit frater Petri tertii Aragoniæ Regis & patruus Elisabethæ.

In Anglia, quando Regina nostra obiit, dominabatur Eduardus, istius nominis sextus. Non additur hic, ex quo capite consobrinus fuerit, uti in aliis supra. Nec operæ pretium puto, id hoc loco cum temporis jactura indagari: indagent genealogi. Aliquam colligo consanguinitatem, sed remotam, Elisabethæ cum Eduardo VI Anglorum Rege ex epistola Martini PP. IV, data an. 1283 ad Eduardum IV, Regem Angliæ, sexti avum, in qua explicatur, filiam Eduardi IV Eleonoram, Alfonso, Petri III Aragoniæ Regis filio primogenito, Elisabethæ fratri, desponsam contigisse quarto consanguinitatis gradu, videlicet, Comitissam Provinciæ N, cujus filia Eleonora, Regi Angliæ Henrico III nupta, illi pepererat ipsum Eduardum IV; fuisse sororem Amedei, Sabaudiæ Comitis, cujus filia, Manfredo Siculo nupta, illi peperit Constantiam. Hæc vero nupta Petro Aragonico, peperit ei primogenitum Alfonsum, de quo agimus: quique adeo (uti & soror ejus Elisabetha nostra) contingebat Eleonoram, Eduardi IV filiam, sibi desponsatam, quarto sanguinis gradu, uti & fratrem ejus

Eduardum V: quinto autem gradu Eduardum VI, qui regnabat, quando Elisabetha Regina Lusitaniæ moriebatur.

## CAPUT XI.

## Caritas Reginæ in caritate annonæ: dolor ex discordia filii & nepotis Regum; studium eos reconciliandi; supremus morbus, mors.

Commorante Regina Conimbricæ ad perficiendum opera ædificiaque sua, tam magna caritas annonæ supervenit in terra, [Caritas Reginæ tempore famis,] ut in dicta civitate quilibet modius parvus frumenti valeret quindecim solidis, eratque modius ille tam parvus, ut non sufficeret ad sustentationem unius pueri per hebdomadam. Currebat tunc annus millesimus trecentesimus septuagesimus primus. Recurrebant autem ad illam civitatem plurimi pauperes, quibus Regina de suis bonis largas distribuebat eleemosynas in pane & carne. Multi nihilominus præ inopia peribant, tam viri, quam feminæ, enecti fame. Sic autem mortuos, ubi de illis primum resciebat Regina; curabat protinus terræ mandari; linteamina & candelas subministrari; sandapilas & foveas fieri ad sepeliendum. Curabat quoque in certis locis ac pagis, ubi quis sic moriebatur, adesse Clericos, qui pro defunctorum animabus officia ex more Ecclesiæ celebrarent & corpora rite sepelirent.

[98] Tanta porro tempore illo erat annonæ caritas, quanta ab hominum memoria non fuerat: quia homines, [nihil solicitæ pro se in tempus futurum.] fame adacti, pascebant per herbas campi, tamquam animalia; & edebant carnes bestiarum morticinas, & alia, humanæ naturæ repugnantia. Regina interim eodem tempore succurrebat pane & pecunia multis, tum alias divitibus, tum pauperibus obviis, tum Religiosis utriusque sexus; idque tanta liberalitate, ut a domesticis suis

reprehenderetur, cur ex tam profusis eleemosynis, quas distribuebat, sibi non servaret aliquid in futurum. Nesciri quippe, qualia supervenire possent tempora. Quibus illa respondebat, quod potius fame periret ipsa, quam denegaret subsidium indigentibus tali tempore; qui alioquin desperarent: quodque ipsa, si non opitularetur, in culpa esset mortis illorum: Deum sibi subventurum in posterum; se interea distributuram indigentibus annonam.

[99] Dum Regina habitabat in domibus, quas ædificaverat in circuitu sui monasterii sanctæ Claræ Conimbricæ, [Dolor ex discordia filii & nepotis, Regum Lusitaniæ & Castellæ,] fuit ei nuntiatum, qualiter Rex Portugalliæ, ejus filius, & Rex Castellæ, ejus nepos, in proximo erant ad dissolvendam pacem, inter eos initam; quod plurimum dolebat, dicens, quod, qui Regum animos eo incendebant, Reges non tantum amarent, quantum ipsa. Dicebat quoque per intervalla coram multis, hanc gratiam se Deum rogare, ut prius ex hac vita eriperetur, quam videret, Regum simultates in bellum erumpere; ex quo irreparabile damnum necessario secuturum erat; & violari sanctas consanguinitatis leges, quæ inter utrumque Regem intercedebat. Quod si alterius cujuscumque conditionis homines, nec tam arcto propinquitatis vinculo colligati, quam Reges isti, inter se dissiderent; deberent utique reconciliari, odia deponere, amicitiam pristinam restaurare; & non credere susurronibus, qui zizania discordiarum inter ipsos seminare nituntur.

[100] [ex qua secutura incommoda detestatur.] Quid igitur (inquiebat) Reges oportet facere? Et Reges, qui tam nobili progenie conspicui; jure sanguinis sui, Reges sunt, viri, magno ingenio judicioque præditi? Quid? Illos, propter dictas causas non se demittere ad reconciliationem animorum? Quod si obstinent animos suos & procedant ad bellum, quid consequetur? Irreparabilis calamitas utriusque patriæ: mors

plurimorum subditorum suorum & innocentium; ad quos lites atque discordiæ Regum nihil attinent. Consequetur indidem exultatio superborum; humilium autem oppressio. Qui Deo serviunt, fastidio afficientur ac metu: qui vero diabolo, gaudebunt; divitias rapient, & audaciam suam augebunt. Adde, quod Reges, dum inter se discordes sunt, non possint tam perspicaces atque accurati esse, ad exercendam justitiam in improbos, ac solent tempore pacis. Ex qua tamen justitiæ administratione plurimum merentur apud Deum.

[101] [Iter ingreditur ad illos inter se conciliandos.] Igitur ad præveniendum malum, ne Reges, filius & nepos sui, foverent discordias tam perniciosas, procederentque in bellum, constituit se conferre ad locum, ex quo utrumque Regem commodius posset convenire ad tractandum cum illis de renovanda amicitia, propter conjunctionem sanguinis aliasque rationes. Cum vero aliqui dissuadere ei talem profectionem conarentur, tum propter graves illius temporis calores; tum quod ætas ejus magis indigebat placida quiete; quam ut labores itineris susciperet; ipsa tamen, rata quod nulla in re gratius Deo officium præstare posset, quam si Regum istorum componeret animos, atque bella impediret, tot damna & calamitates illatura; ingressa est iter, ac pervenit ad oppidum Extremos sive Stremotium.

[102] [Morbus, & in eo gesta.] Hic male habuit ex tumore, enato in altero brachio, & secunda feria non exivit e conclavi suo ad audiendum Sacra, in oratorio palatii, quemadmodum facere solebat; & Rex filius suus cum ipsa manebat. Accedebat quoque uxor ejus, Regina Beatrix, quæ ægram animabat, inserviebat & recreabat, qua posset, in omnibus quæ placitura socrui putabantur. Cum vero Regina Elisabetha ita jacebat in lecto suo, conversa subito ad assidentem sibi Reginam Beatricem, dixit ei; Domina filia, date locum Dominæ illi, quæ istic vadit. Cui

Regina Beatrix; Quæ, Domina mater, illic Domina est? Respondit ei; Illa, quæ huc venit, candidis vestibus induta. Interea nihil horum videbat Regina Beatrix, quæ se videre Regina mater dicebat. Quamobrem existimatum fuit, quod Deus ejusque sanctissima Mater, cui Regina admodum devota erat, talem Dominam miserint ad confortandum ægrotam.

[103] Frequenter confitebatur Regina suis sacerdotibus, quos secum ducebat, [Sumit sacram Eucharistiam;] peccata sua: & feria quinta post feriam secundam, qua cœperat ægrotare, confessa fuit bene mane, audivitque Missam; qua finita, exivit alacriter, nemine adjuvante, e conclavi suo, venitque ad altare, in quo confessarius suus sacris operabatur, ibique flexis genibus, magna pietate, perfusa lacrymis, corpus Domini accepit. Eodem die post Vesperas colloquebatur cum Rege, filio suo, & negantibus medicis, mortis periculum esse ex tali infirmitate, suasit Regi, [deliquium animi patitur;] ut cœnatum iret. Et Rex dicens, se jam cœnatum esse, exivit cum præsentibus medicis extra conclave. Consistentibus autem illis ante portam ejusdem conclavis, Regina exivit e lecto, ad eumque se reclinans, cœpit animo linqui. Adstantes continuo inclamant Regem, isque accurrens, prehendit manus Reginæ & osculatur.

[104] Interim Regina sibi reddita; narravit Regi de suo deliquio, [moritur orans.] locutaque est de Infantissa Eleonora, nepte sua, Regis filia, quam ipsa plurimum amabat; uti & de aliis suis neptibus nepotibusque. Inter hos sermones sentiens Regina sibi finem instare vitæ, cœpit ita precari: Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Tum recitabat symbolum Apostolorum, Credo in Deum Patrem: Orationem Dominicam, Pater noster; aliasque preces: atque ita orans, cœpit languescere ac deficere adeo, ut verba ejus intelligi amplius non possent:

sicque in oratione vitæ tempus complevit; oculique ejus & os, egressa anima, sine alicujus adminiculo, per se clausa fuerunt. Et hic contulit ei Deus, quod sæpe in vita petierat, ut in morte sua Rex filius adesset. Obiit autem in Castello oppidi Extremotii die quarta mensis Julii, Æra millesima trecentesima septuagesima quarta.

[105] Tempore illo, quo Regina ex hac vita migravit, [Nepotes Reginæ, qui vivebant, quando obiit.] habebat nepotes, Regem Castellæ: & infantem Petrum, filium primogenitum, heredem Portugalliæ, qui præsens erat in dicto oppido Extremotio, quando Regina obiit; & Reginam Mariam Castellæ, quam Elisabetha Regina educaverat; & Reginam Eleonoram Aragoniæ; & Infantissam Eleonoram, filiam Regis Portugalliæ; habebat vero pronepotes, Infantem Petrum, filium primogenitum, heredem Regis Castellæ; & Infantes Ferdinandum, & Joannem, filios Regis Alfonsi & Reginæ Eleonoræ Aragoniæ.

## ANNOTATA.

Videlicet Æræ Cæsareæ; Christi vero 1333.

Reducitur Æra illa ad annum Christi 1336.

Qui tunc fuit Alfonsus, nepos Reginæ ex filia sua Constantia, Ferdinando IV, Castellæ Regi nupta.

Erat ille Petrus tunc primogenitus Alfonsi filius, quia alii, priores natu, Alfonsus, Dionysius, Joannes, obierant in infantia sua. Quartus ei filius fuit hic Petrus, heres regni, nepos Reginæ nostræ; qui natus fuit Conimbricæ anno Christi 1320, atque uxorem deinde duxit Constantiam, filiam Joannis Emmanuelis, sive Manoël; qui fuit filius Emmanuelis, Infantis Castellæ, ex Rege Ferdinando tertio.

Hæc quoque neptis Reginæ ex filio Alfonso, nuptui data est Alfonso Regi Castellæ, item nepoti Reginæ ex filia Constantia.

Fuit hæc Eleonora, filia Ferdinandi IV, Castellæ & Constantiæ Lusitaniæ, filiæ nostræ Reginæ Elisabethæ, nupta Alfonso IV Aragoniæ; uti mox clarius intelligetur.

Hæc Eleonora, filia Regis Alfonsi IV Lusitaniæ, juncta matrimonio fuit Regi Aragoniæ, Petro IV, teste Vasconcello.

Pronepotes Reginæ fuerunt sequentes, Petrus Alfonsi XI Castellæ primogenitus; item Ferdinandus & Joannes, ex nepte ejus Eleonora, filia filiæ suæ Constantiæ, & Rege Alfonso IV Aragoniæ progeniti.

## CAPUT XII.
## Corpus septem dierum itinere delatum Conimbricam in summo æstu, bene olet; subsequunturque miracula.

[Facta consultatione de loco, ubi corpus conderetur,] Ipso die, quo Regina obierat, & in sequenti mox nocte, & postridie curata fuerunt officia ecclesiastica pro solatio animæ ejus, a Prælatis, qui tunc ibi aderant. Quibus celebratis, omnibusque ad deportandum corpus Conimbricam, in monasterio S. Claræ deponendum, uti per tabulas testamenti ejus constitutum erat, paratis; fuerunt, qui Regi suaderent, ut corpus terræ mandaretur in monasterio S. Francisci, quod erat Extremotii; aut saltem transportaretur ad ecclesiam Cathedralem Eboracensem, quæ distabat Extremotio tantum sex leucis: atque postea inde, consumptis carnibus, ossa perferrentur Conimbricam. Ita illi suadebant Regi, quod timerent, ne corpus per longam viam, quæ erat leucarum triginta duarum, ita computresceret, ut præ fœtore

portitores illud perferre non possent; causantes, tum immensos istius temporis calores, tum quod quatuor tantum aut quinque dierum ægritudine demortua Regina, corpus non emaciatum, sed succi plenum reliquerat. Alii contra opinabantur, debere corpus transportari ad locum, quem ipsa Regina Sepulturæ suæ elegerat.

[107] [jubet Rex deportari Conimbricam,] Auditis sententiis, Rex, filius & curator testamenti materni, mandavit transferri corpus Conimbricam. Igitur feria sexta, postridiæ mortis ejus, imposuerunt feretro cadaver, & post meridiem ingressi sunt iter. Interea obmurmurabant qui funus comitabantur, dicentes inter se, quod propter ardentem nimium solem & longam loci, quo pergebant, distantiam, adeo deberet fœtere corpus mortuum, ut nemo unus auderet feretro appropinquare. Potius igitur foret deponi illud Eboræ, uti suasum fuerat. Nihilominus progrediebantur funeris custodes, impenderuntque hujusmodi translationi Extremotio Conimbricam per ardentissimos calores, dies omnino septem. Interea aperuerant in itinere sandapilam, conspexerantque, toto cadavere tabem ac saniem emanare, eoque magis timebant, ut umquam posset ob corruptionem atque intolerabilem fœtorem perduci ad terminum præstitutum.

[108] [quo adductum, cum admiratione omnium, suavem exhalat odorem.] Complacuit tamen Domino in illo corpore notum facere hominibus, quam grata sibi obsequia hoc in mundo præstitisset Regina, dum formidantes, ne graveolentia fœtoris non possent funus prosequi; illico senserunt, odorem inde efflari qui fragrantior erat, quam quidquid umquam in hoc mundo olfecissent, aut credi posset: idque confirmabant non tantum, qui funus comitati fuerant. sed alii quoque, qui eo confluebant, Præsules, virique ac feminæ nobiles, qui illud rei pro magno habebant miraculo, videlicet quod

corpus exanime, tot jam diebus vita functæ, non tantum non fœteret, sed suaveolentiam exhalaret: eoque reddebant gratias Deo laudesque, pro eo, quod in Regina, quæ semper ei fidelis famula extiterat, demonstrabat miraculo, dum corpus, quod secundum naturam suam fœtere debebat, suavi odore contra naturam imbuerat. Eoque majus apparebat esse miraculum, quod, cum laxa esset sandapila, corpus modo in hanc, modo in oppositam partem impingebat quassabaturque, adeo ut undique contusum & ipsa sandapila nonnullis locis soluta esset, non sine multorum sensu atque dolore.

[109] Septem igitur dierum spatio facta per immensos calores incommodo tempore, [Volentes corpus noctu sepelire ad vitandas turbas,] translatione corporis Extremotio Conimbricam, deposuerunt illud ipso die, quo allatum fuit, in ecclesia monasterii, quod ipsa curaverat ædificandum: constitutumque est ab Episcopo Lamecensi, qui pro curatore testamenti erat, & ab aliis, qui funus comitati fuerant, ut ad vitandas turbas & clamores populi (innumeri quippe omnis sexus ac ætatis confluxerant ad videndum) sepeliretur clanculum nocte proxima, statuta hora, qua custodes obdormivissent; poneretur que in monumento, quod sibi pridem Regina faciendum curaverat; jamque apertum erat, [omnes obdormiscunt usque in clarum diem,] relicta suo loco sandapila, qua corpus allatum fuerat, ad dissimulandum, translatum esse. Id negotii datum fuit fidis aliquot Reginæ amicis & Prætori urbis; qui accedentes, ut statuta hora opus exequerentur, tam alto omnes obruti sunt somno, ut ante diem clarum non evigilaverint. Neque tunc potuerunt corpus transferre, quia jam aderant Ecclesiastici, qui debebant officia celebrare pro defuncta: eodemque die plurimi concurrerunt sacerdotes, tam seculares, quam claustrales, qui pro Regina ad aram fecerunt.

[110] Sub hæc selecti fuerant viri aliquot honoratiores civitatis, [quo publice delatum est ad locum suum,] qui in eadem lectica, qua corpus apportatum fuerat Extremotio, deferrent illud ad ecclesiam majorem, in cujus superiori sacello positum erat Reginæ monumentum: & fieri aliter non potuit, quin aliquid humoris, e feretro stillantis, infecerit manus ac vestes portantium, ubi vero corpus fuerat delatum ad sacellum superius, moniales porro curarunt ipsum deferri intra claustra monasterii, [& monialis diu ægra, osculans sandapilam,] ibique querulis vocibus lamentabantur, se nunc per mortem Reginæ desertas atque orphanas esse. Inter alias aderat una, cui nomen Constantia Agnes, Conimbricæ nata; quæ tam graviter laborabat toto ore, ut dentibus fremeret ac labia morderet: cum vero dentes exciderent, nimio clamore ac lugubri vociferatione totum turbare monasterium solebat. Hæc spe ducta, futurum, per illud Reginæ corpus, quæ tam præclara opera fecerat in vita sua, ut a Deo gratiam sanitatis obtineret; accessit & osculata est sandapilam.

[111] Tunc ablatum est inde corpus, ac delatum ad jam dictum sacellum, [continuo convaluit.] monumento ibi includendum, subsequentibus monialibus & ipsa Constantia, quæ interea sensit, se pristino cruciatu suo liberatam, ac labia totumque os sibi restitutum esse. Quamobrem etiam Deo mox gratias egerunt omnes præsentes, quod ei placuisset infirmæ per intercessionem Reginæ, illo die plenam sanitatem restituere, quod nullæ potuerant longo tempore præstare artes medicorum. Atque hæc coram Fr. Salvatore, Episcopo Lamecensi, qui antea visitator fuerat monasterii istius S. Claræ, testatæ sunt Moniales, quæ viderant infirmam Constantiam, miserabili modo, uti dictum est, cruciatam, antequam Reginæ corpus eo allatum esset: postmodum vero die ipso adventus, viderunt omnino curatam atque incolumem. Habetur de his instrumentum authenticum, factum manu Martini Alfonsi tabellionis Conimbricensis.

[112] [Fragrantiam corporis omnes pro miraculo habent.] Postquam corpus in monumento suo depositum fuit, admirari cœperunt inter se, qui illud Extremotio adduxerant; & habere pro miraculo manifesto; quod corpus exanime, jam dies novem spiritu carens, per incensi caloris æstum, tam longo itinere varie conquassatum ac tabe manans; tam suave oleret. Alii dicebant sibi visum esse per viam, quod incederent per roseta; alii, quod accesserint ad feretrum olfaciendi causa, quodque nullo umquam ex odore tantam sensissent fragrantiam: & omnes, qui talia experti erant, laudes & gratias referebant Deo, quod tantum donum tribuisset cadaveri unius feminæ, ut quod horrendum fœtere debuisset, tam gratum contra naturam emitteret odorem. Et hujus rei instrumentum extat, de mandato Episcopi Lamecensis scriptum per Joannem Domingues, tabellionem Conimbricensem; & subscripserunt nomina sua, qui talia testati fuerunt, quotquot scribere noverant.

## CAPUT XIII.
## Miracula varii generis in curationibus subitaneis.

[Pes clavo transfixus, ita mox curatur, ut non supersit cicatrix.] Deposito rite in monumento corpore, cum vellent bajuli auferre lecticam, qua funus allatum fuerat, offendit illa virum bonum, civem Conimbricensem, Ferdinandum Esteves nomine; qui dum conatur in conferta hominum turba, locum bajulis facere, quidam clavus lecticæ pedem ejus perforavit summo cum dolore: quo tandem inde extracto, non potuit se homo movere loco, jacensque queritabatur: Ah! bona Domina, aliam remunerationem expectabam pro obsequio, quod tibi præstare volui, quam huc venire sanum & redire claudum: ab eaque petiit magna cum fiducia, sibi ut a Deo impetraret levamen doloris & curationem. Et statim in ipsa hora levavit se stetitque pedibus suis, ita curatus, ut nec vulnus nec

vestigium vulneris in pede appareret. Hac quoque super re habetur instrumentum Joannis Domingues supra dicti.

[114] [Curantur febres,] Fidem quoque fecerunt & verbo veritatis testati sunt, Alfonsus Martins, Clericus Episcopi Lamecensis; & Joannes Macheira, Reginæ quondam architectus; quod dum comitabantur feretrum, quo corpus Reginæ deferebatur Conimbricam, doloribus febrium ambo laboraverint: quodque implorata ejus intercessione apud Deum, sanitatem recuperaverint, ac deinceps sani permanserint. Ita illi dixerunt & jurejurando confirmarunt coram dicto Episcopo Lamecensi, prout continetur in tabulis scriptis per Martinum Alfonsum, Notarium Conimbricensem.

[115] Versabatur Conimbricæ in domo Reginæ mulier quædam, [tuber diuturnum in manu,] nuncupata Maria Migueis, oriunda ex civitate Leriensi; nutriens ibi filiolam alicujus equitis; cui a lougo tempore natum fuerat in manu dextera tuber quoddam grande. Illa, discedente Regina Extremotium, manserat Conimbricæ cum aliis nutricibus, quæ alias equitum filias ibidem ex mandato Reginæ nutriebant. Illis, postquam Reginæ corpus in monasterium fuisset illatum, colloquentibus forte de ejus in vita gestis; supervenit alia mulier, Maria Domingues nomine, quæ Reginam Extremotium comitata fuerat; dixitque Mariæ Migueis nutrici, ora Deum, ut tibi auferat de manu tuber illud deforme atque noxium. Age, ego hic tibi pannum lineum, quo affectum Reginæ brachium & applicata ei emplastra fuerunt involuta: cumque jam sederent ad prandendum, imposuerunt dictum pannum tuberi nutricis, & circum brachium ligarunt. Finito autem prandio, surgentes, inspexerunt, dissoluto a brachio panno, tuber, & non invenerunt signum ejus vel minimum. Et testificatæ sunt omnes, qualiter ante prandium dicta nutrix habuerit dictum tuber, at vero, statim post prandium viderint dictum tuber evanuisse: idque

testificatæ sunt sub juramento ad sancta Dei Euangelia. Et super eo factum fuit publicum instrumentum per Martinum Alfonsum, Notarium Conimbricensem.

[116] Eodem tempore, quo corpus Reginæ transportatum Conimbricam fuit, [cæca.] habitabat ibidem in parochia S. Christophori, mulier quædam, cui nomen Maria Martins, a longo tempore cæca, adeo ut distinguere nequiret colorem album a nigro. Habebat autem sororem Margaritam Martins, nuptam cuidam viro, qui nuncupabatur Paschalis Laurentius; & habitabant in dicta parochia S. Christophori. Hi vero audientes, qualiter Deus per invocationem hujus Reginæ præstaret magna beneficia, curarunt cæcam deduci ad sepulcrum ejus. Cumque eo pervenisset, postularetque a Deo, ut sibi per merita Reginæ lumen oculorum reddere dignaretur; somno capta fuit: atque mox excitata, altero vidit oculo, & circumspexit sacellum, ubi erat, & in eo sepulcrum Reginæ, persolutisque ibi gratiis Deo pro beneficio accepto, reversa est ad domum sororis suæ, ubi denuo ambæ simul gratias Deo egerunt, contuleruntque se ad Fr. Salvatorem, Episcopum Lamecensem, contestatæque sunt super sancta Dei Euangelia, sic, uti dictum est, omnia evenisse. Et hæc alii confirmarunt, qui simul venerant testimonium veritati daturi eorum, quæ viderant oculis suis. Imo notorium erat in parochia, ubi Maria habitabat, ipsam a multo tempore cæcam fuisse. Et hæc omnia coram Episcopo deposita excepit in tabulas suas Martinus Alfonsus, Notarius publicus.

[117] Nondum dies triginta effluxerant a sepultura Reginæ, [Hirudo in corpore humano, per nares ejecta.] cum ad ejus monumentum venit quædam mulier, incola loci de Sanfins juxta oppidum Condeixa, nominata Dominica, habebatque in corpore suo hirudinem, quapropter pallens tabescebat. Multi artis medicæ periti tentarunt bestiam alicunde expellere, sed nihil

profecerunt. Cum vero inaudivisset, multa mortalibus beneficia præstari a Deo per patrocinium hujus Reginæ; venit ad ejus sepulcrum; cumque ibi ploraret ipsa, multi homines utriusque sexus, qui illo in loco alebantur ex fundatione Reginæ, & Deum pro animæ ejus refrigerio orabant, ad illos conversa, explicuit infirmitatem suam. Interea hirudo accessit ad labia ejus. Quod conspicatus custos lucernarum, arrepta forcipe, conatus est bestiam extrahere, sed non potuit, quia illico se receperat in os & fauces: attamen ipsa, per se paulo post egressa per nares, inspectantibus cunctis, præcipitavit in terram. Quapropter omnes, qui aderant, simul gratias egerunt Deo, quod suo in conspectu tam insigne miraculum operatus esset. Attestatio totius rei scripta est per Martinum Alfonsum, sæpe dictum.

[118] [Subitanea curatio gonagræ,] In dicto monasterio, quando corpus Reginæ eo allatum fuit, agebat Sanctimonialis, quæ graviter laborabat genibus, adeo ut se loco non posset movere. Hæc coram episcopo Lamecensi ejusque Visitatore, sub obedientiæ præcepto, ut verum diceret, & nihil a veritate alienum admisceret, deposuit, se piis precibus implorasse opem Reginæ, ut sibi impetraret a Deo vacuitatem dolorum usumque genuum ac pedum, quo posset frequentare chorum, divinisque officiis assistere: Deum vero per patrocinium Reginæ desideratam sibi gratiam contulisse, omni infirmitate depulsa; quæ nec rediit deinceps, Attestatæ sunt reliquæ Moniales, quæ dictam deponentem viderant diu infirmam & deinde subito curatam, ita se rem habere: & Martinus Alfonsus, Notarius Conimbricensis, cuncta retulit in tabulas publicas.

[119] [& cæcitatis,] Scalabi in parochia S. Nicolai commorabatur femina, cui nomen Taresia Rodrigues, ambobus oculis cæca, ut nihil quidquam videret. Audivit multa dici de munificentia Dei in miseros mortales per

intercessionem Reginæ: quam & ipsa votis suis interpellavit, ut lumen oculorum reciperet, atque illico recepit. Hinc Scalabi nudis pedibus venit Conimbricam, & recta se contulit ad sepulcrum Reginæ: juravitque per sancta Dei Euangelia ita evenisse, uti supra relatum est; adjungens quoque, quod in Scalabi, patria sua, per eamdem Reginam plures ægri consequebantur a Deo beneficia curationum. Quæ omnia sub juramento dictæ Taresiæ excepit Martinus Alfonsus, Notarius.

[120] [& brachii vulnerati] Dominus Stephanus Gonsalves Leitam, magister Equitum Ordinis Christi in Lusitania, accepto vulnere in altero brachio, illud movere nequibat, nec aliquid manu prehendere. Recogitans ille vitam Reginæ, cujus minister fuerat; quam fideliter & sancte Deo servierat; convertit se ad illam, gratiam petens curationis brachio suo. Ecce autem quod petiit, continuo consecutus est, integritatem & usum læsi brachii, nec ullum deinceps dolorem sensit, omnino curatus. Et hæc ita retulit Conimbricæ, die prima Novembris, Æra MCCCLXXV, juravitque ita factum esse præsentibus, Præfecto urbis, Clericisque & Equitibus multis.

[121] Prope ab Ulissipone abest monasterium, quod nuncupatur Chelas; [& apostematis] in eoque serviebat Deo Sanctimonialis quædam, nomine Margarita, quæ convenit Reginam, in dicta civitate tunc commorantem; cruciabatur autem vehementi dolore, tota pallida. Interrogavit accedentem Regina, quid pateretur, quod tam pallida esset. Respondit, sibi ulcus supra stomachum enatum; hinc cruciari. Et Regina, facto crucis signaculo, manum imposuit affectæ parti. Et monialis, reversa ad monasterium suum, reperit se sine ulcere, sine dolore, juravitque super sancta Dei Euangelia, ita factum esse; quod & testificatum habetur per Michaëlem Martins, tabellionem oppidi Scalabitani. Idem affirmavit Urraca Vasques, & ipsa Scalabitana, femina sanctæ vitæ, ac Deo

dicata per votum virginitatis; quacum intima necessitudine Regina, dum vivebat, conjungebatur; & secreta cordis sui cum fiducia communicare solebat. Idem testatæ etiam fuerunt aliæ Moniales dicti monasterii de Chelas.

[122] Consueverat Regina, uti supra dictum est, [& tetri carcihomatis] quot annis in Cœna Domini lavare pedes aliquot mulierum. Accidit autem, vivente adhuc Rege marito, inter illas comparere unam, cujus alterum pedem cancer morbus depascebat, jamque digitos ejus propemodum exederat. Ut ad illam Regina accessit, lavit alterum pedem integrum: alterum vero mulier abscondit, noluitque immittere in pelvim. Cui Regina; Agedum, amica, profer & pedem alterum. Dixitque misella; Nihil opus est, Domina, illum lavari. Tunc Regina, conversa ad jam memoratam Urracam Vasques, secretariam suam, mandavit illi, ut pedem protraheret, pelvique imponeret: quod ita fecit, uti jussa erat. Dixerunt autem, tum ipsa, tum aliæ ministræ, quæ aquam ad lavandum apportabant, quod viso pede, taliter exeso, inhorruerint, vultumque averterint: Reginam vero sine fastidio illum lavisse, solummodo solicitam, ut quam lenissime ipsum tractaret, ne inferret dolorem; tum mantili quoque lotum pedem abstersisse, & loco, ubi cancer serpebat, osculum impressisse. Dein mulier paratæ mensæ accubuit, comedit ac domum reversa est alacris, pedem sanata; dixitque palam omnibus, se simul atque Regina plagam pedis osculata fuerat, sensisse illum sibi, absterso dolore, restitutum esse: nec male habuit deinceps. Confirmarunt hæc jurejurando jam dicta Urraca Vasques & Domina Catharina, mater Domini Laurentii, Episcopi Salmaticensis; se dictam mulierem vidisse & laborantem cancro, & liberatam, uti dictum est.

[123] Scalabi quadam Feria sexta Majoris hebdomadæ volens Regina amore Dei misericordiam exercere in

elephantiacos, [vulnerati in capite.] curavit multos clam congregari uno in cubiculo palatii sui; quibus & prandium apposuit, & ipsa inservivit & largas eleemosynas distribuit. Illi vero, postquam manducaverant, exiverunt, remanente uno, qui, quia claudus erat & infirmus, non potuit tam prompte incedere, ut reliquos comitaretur. Illum forte invenit janitor, &, quid actum esset, ignorans, percussit baculo caput ejus, dicens, elephantiacorum non esse, penetrare in palatium Reginæ. Supervenit Urraca Vasques, quæ sciebat, cur homo ille intrasset, vidensque percussi caput stillare sanguine, ingemuit, nuntiavitque casum Reginæ: quæ ait ad Urracam; Recipe hominem in conclave tuum; & mox subsecuta illuc, imposuit manu sua vulneri album ovi, deditque pecunias homini, quo ipse sui vulneris curam haberet; ac abiit. Die postero autem misit ad saucium (quia plaga ei videbatur profundior esse) qui sciscitaretur, qualiter se haberet; & responsum accepit, recte omnia habere; saucium, ex quo manus Reginæ vulnus obligaverat, sine vulnere fuisse, ejusque vestigium non superesse. Hæc quoque prædicta Urraca Vasques, interposito juramento, in præsentia Episcopi Ulissiponensis testata reliquit.

[124] [Toto corpore doloribus cruciata, subito sanatur,] Eadem, modo dicta, Urraca affirmavit quoque de se sub juramento, quod, quo tempore Dionysius Rex & hæc Regina inviserunt filiam suam Constantiam, Castellæ Reginam, post mortem Ferdinandi Regis, mariti ejus, in civitate Rodrigo, seu Mirobriga; ipsa Urraca patiebatur gravem dolorem, qui per intervalla adeo se intendebat, ut ægræ appetentiam cibi & facultatem loquelæ eriperet, ipsaque exagitata mente, ligari manus pedesque funibus debuerit: neque vero medicorum ars ullum doloribus lenimen afferebat. Accessit ad æram Regina consolatum; & illa recolens animo constantem ejus in famulando Deo fervorem, dixit ei; Domina, orate pro me Deum, ut aut mitiget dolores, quos patior; aut evocare me ex hac vita

dignetur potius, quam ut sic patiar diutius. Regina vero, ejus miserta, oravit ad Dominum; manus suas capiti ejus imposuit; corpori toti crucis signa impressit: & ægra continuo bene habuit, neque deinceps tales dolores umquam sensit, quibus alioquin antea frequenter solebat affligi.

[125] [puella cæca illuminatur a vivente adhuc Regina signo crucis,] Proficiscebatur Regina Conimbrica Portum civitatem, cum ei in via occurrit quædam femina, in loco, qui dicitur Arrifana, rogans ut parvulæ suæ filiæ, quam dicebat a nativitate cæcam fuisse, super oculos imponeret manus. Fecit id Regina, & processit via sua. Ubi vero eadem reversa est, accessit denuo ad eam dicta mulier cum sua filiola, cui Deus jam concesserat usum oculorum, eamque Reginæ monstrabat. Illa vero mulieri mandavit, id sub silentio ut haberet secretum, ac nulli revelaret; illumque in finem, tam matrem quam filiam novis donari vestibus curavit. Hæc plures domestici Reginæ viderunt, & pro certo habuerunt, tum quod dicta filiola a nativitate sua fuerat cæca; tum quod oculis apertis vidit, posteaquam illis Regina imposuerat manus. Nihilo tamen minus non permisit Regina, quamdiu vixit, talia a suis dici.

[126] Alfonsus Fernandes, Conimbricæ in S. Georgii Canonicus Regularis, [item anus ad ejus sepulcrum.] matrem habebat cæcam, quam curavit adduci ad sepulcrum Reginæ. Adducta eo fuit per alios, rediit per se apertis & videntibus oculis. Notorium hoc fuit tota civitate Conimbricensi. Similiter multi ad idem sepulcrum veniunt infirmi; alii, febribus quartanis obnoxii; alii, a dæmoniis insessi; alii, aliis modis vexati: & revertuntur inde omnes curati & liberati malis suis. Et talia curationum beneficia, quæ illic passim obtinentur, tam frequentia sunt, ut longum foret singula commemorare. Omnes enim, qui

vitam Reginæ norunt, facile intelligunt, propter merita ipsius Deum talia operari.

[127] Taveiro Lusitanis oppidum est prope Conimbricam. [Desiderium matris, videndi filium, dudum peregre agentem, impletur.] Incolebat illud mulier, habens filium, qui dudum e patria sua digressus, peregre agebat; nesciebatque mater, viveretne an mortuus esset. Quamobrem confugit ad sepulcrum Reginæ, supplicans, ut, si filius suus adhuc viveret, copia sibi fieret illum videndi, antequam ipsa moreretur. Aberat tunc filius, facile triginta leucis, qui postea fassus est, tantum sibi tunc inspiratum fuisse desiderium invisendi matrem, ut nihil supra: statimque itineri se commisisse: atque infra diem octavum, ex quo mater Reginam interpellaverat, ejus domum ingressum esse. Ex quo mirata mater, primo quoque tempore cum filio suo accessit ad corpus Reginæ, eique & Deo gratias egit, quod deprecationes suas tam benigne ac prompte exaudisset per patrocinium Reginæ.

[128] Eboræ in domo Benedicti Peres, mercatoris, decumbebat quidam ejus famulus, [Moribundus reviviscit.] & vehementer torquebatur ex eo, quod deglutierat hirudinem, quæ jam dies quindecim ejus faucibus inhærebat, nec poterat expelli aut evomi. Unde adeo guttur inflatum fuit, ut jam biduo ultimo nec cibum sumere, nec loqui ullo modo posset. Quamobrem timebant omnes, ne illo die ex hac vita migraret, jamque præparaverant pro funere efferendo, necessarios pannos ac cereos. Ipso die advenit eo Joannes Anes & de Corruche, vestiario Regio præfectus, ut salutaret D. Lupum Esteves Gayam, habitantem in domo Benedicti Peres, de quo supra, in qua etiam decumbebat prædictus æger. Ut autem illic vidit multam hominum turbam, sciscitatur, quid rei id esset: intellectoque, hominem illic decumbere moribundum, dixit; si tempus permittat, ut se æger possit commendare Reginæ Elisabethæ, ac vovere,

ejus se visitaturum esse sepulcrum; absque dubio illum per intercessionem Reginæ obtenturum vitam longiorem. Inter hæc, jacebat æger oculis in cælum fixis, ut crederetur ab omnibus jam jam exspiraturus. Cum feminæ, quæ prope adstabant, ipsum compellaverunt nomine suo, & dixerunt, si se commendaret Reginæ Elisabethæ, futurum, ut per ipsam a Deo levamen acciperet. Et æger non sine pietatis sensu manus in cælum levavit, & continuo cæpit tussire ac sanguinem vomere. Quapropter adstantes levaverunt tantisper caput ejus; cæpitque denuo sanguinem vomere & cum sanguine hirudinem: & statim illo die locutus fuit ac bene habuit. Stephanus vero Martins, alias de Gayam, pater dicti Lupi Esteves, collegit hirudinem & involvit linteo.

[129] Contigit, Abbatem de Alcobasa tenere in obscura turri inclusum quemdam monachum suum jam annos quatuor. Erat isti quidam patruelis ex oppido Scalabitano, [Liberatur quadriennio captivus;] Ruisius Martins nomine, qui dudum nequidquam allaboraverat per intercessiones Magnatum, ut dicto carcere monachum liberaret. Interea audivit, quod Deus per hujus Reginæ patrocinium multa operaretur mirabilia; se ad illam per orationem convertit; monuitque etiam monachum, ut & ipse pro sua liberatione eamdem interpellaret. Facta oratione die XVII Martii, anno Æræ Cæsareæ MCCCLXXIII, liberavit eum Dominus carcere: qui per eumdem patruelem suum visitavit sepulcrum Reginæ, eique obtulit dona. Et hujusce rei, jurejurando probatæ, extat testimonium publicum, a Martino Esteves, Conimbricensi notario, factum.

[130] [item dæmoniaca vel septem dæmoniis ad Reginæ sepulcrum,] Anno Æræ Cæsareæ millesimo quadringentesimo & vicesimo, die decimo octavo Aprilis, venit ad monasterium S. Claræ Conimbricæ mulier quædam, nata, ut dicebat, in civitate Lamecensi, insessa a dæmoniis; atque affirmabat, quod tot in se dæmonia

habuerat, quot dies annus numerat: quodque per plures peregrinationes, quas instituerat ad varia Sanctorum lipsana, tam in Lusitania, quam in Castella regnis, omnibus illis infestis hospitibus liberata fuisset, exceptis septem, quæ declaraverant, se non exitura, nisi in sacello, ubi quiescit corpus sanctæ Reginæ Elisabethæ. Comitabantur illam duo Fratres Ordinis S. Francisci, consanguinei ipsius; ambo fratres germani, patria Scalabitani, alter Franciscus, alter Stephanus nominati. Hi, ut ad sacellum Reginæ pervenerunt, ibidem nocte sequenti vigilias egerunt cum multis aliis, tam viris, quam feminis, [quæ alibi non potuerant expelli.] qui dictum monasterium, & palatia Reginæ circum ædificata inhabitabant: inter quos fuerunt quidam Joannes de Porto cum uxore sua Margarita Alfonsi; quædam Marina de Penella cum sua filia: Gundisalvus Laurenzo, procurator dicti monasterii; item alius ejusdem monasterii minister, Dominicus Ames & Michaël Domingues, xenodochus, aliique multi, qui mulieris dæmoniacæ commiserati, amore Dei ibidem excubabant. Mane cum illucesceret, excruciarunt dæmones mulierem, more suo, vehementissime: moxque dederunt dictis Fratribus signa, quæ promiserant, sui discessus, præsentibus omnibus jam nominatis testibus cum aliis pluribus non nominatis; & statim accersita fuit Abbatissa monasterii, Beatrix Pimentel, cum suis Monialibus, ut viderent miraculum magnum, quod Deus per merita Reginæ operabatur in liberatione istius dæmoniacæ. Deo gratiæ, laus & gloria.

[131] Aliud quoque miraculum fecit Regina benedicta anno Æræ [millesimo quadringentesimo] trigesimo octavo, die XV Septembris, [Tuber in vola manus curatur.] in adolescentula Religiosa, cui in vola manus dextræ excreverat tuber, quod espungem vocant, magnitudine dimidiæ fabæ, quod ei creabat acrem dolorem & usum manus impediebat: confugit illa ad Reginam sanctam, manumque ceream ei obtulit; & curata fuit. Res

testatissima est tum per abbatissam monasterii, Dominam Catharinam, tum per reliquas Moniales, quæ asseverant, tuber a viginti circiter diebus, in vola manus, induisse colorem nigrum instar picis; & deinde per se excidisse sine scitu monialis, sine sensu doloris. Gratiæ laudesque referantur Deo pro hoc aliisque compluribus miraculis, quæ Deus fecit, & quotidie facit per merita hujus sanctæ & benedictæ Reginaæ.